G X 11

REGIA BIBLIOTECA DELL' UNIVERSITA' DI TORINO
G. X, 11.

R XII 235

# M. AUGUSTINI CAMPIANI
PRIVERNATIS ICti.
ET ANTECESSORIS TAURINENSIS
VARIARUM AD ACADEMIAM
Pertinentium

# FORMULARUM,
ET ORATIONUM
Liber ſingularis
*Diviſus in partes duas,*
Quarum primæ acceſſere legis Taurinenſis
Lycei præcipua capita.

AUGUSTÆ TAURINORUM,

Typis Joannis Radix, ſub ſigno Angeli
Cuſtodis. 1728. *Super. permiſſu.*

TORINO

CLARISSIMO VIRO

# P. IOSEPHO ROMÆ

PHYSIOLOGIÆ IN TAURINENSI LYCEO

PROFESSORI,

E Sacra Minimorum Familia,

M. AUGUSTINUS CAMPIANUS

S. P. D.

*Qui memoratu digna prodidere litteris, id agere conſueverunt, ut vel Principibus, vel amicis ſcripta nuncuparent, quorum alterum ſemper obſequii, alterum benevolentiæ plurimum habuit. Sed quemadmodum vel gratiam captare, vel lucrum ille videtur, qui modum in primo minimè teneat; quæ res animum indicat vel vanitate corruptum, vel avaritia; ſic poſtremum non modò ab omni quæſtu remotum eſt,*

*verùm etiam a cunctis adulandi cauſſis, & ſpecie blandiendi, mentiendique ſuſpicione. Amicos etenim maximè decet, ut ſi quod laudis teſtimonium reddere debeant, id parcè faciant, quòd ex animi ſententia loquantur; aucta namque in maius facta, licet egregia, quantum ex arte trahunt, tantum ſibi fidei abrogant; ut minus probabilia ſint, quæ magis videantur amplificata. Scitè propterea, etſi non probè, Tiberius egiſſe putatur, qui quum filium in Senatu commendaret, paucis diſſeruiſſe fertur; quum Germanici geſta recenſeret, pluribus verbis, & exquiſitis, quibus majorem, vel parem filium, minorem alterum eſſe Patres ſuſpicarentur.* (a) *At quod callidus, ſceleſtuſque Princeps, pravis artibus virtutes æmulantibus, nos ex recto conſilio, Vir præclare, præſtemus, teque laudatione noſtra majorem poſteri cenſeant, quòd amicè lauderis.*

*Eapropter munera vix memorabo, quæ adoleſcens adhuc obieras; quamquam & hæc laudis pars non modica videatur, quòd nondum triceſimum annum egreſſus elegantiorem Philoſophiam, & neceſſariam Chriſtiano cultui Theologiam, ſumma cum laude Romæ docueras: atque Annibalis Cardinalis Albani apud patruum Clementem XI. Pontificem Maximum inclyti Mæcenatis tui, ac ſummi ea tempeſtate patroni, Theologum egeras. In quem gradum non ambitu, gratiâve irrepſeras, ſed eâ doctrinæ famâ, quam ingentem ex Latinis, Græcis, Hebraiciſque litteris tibi pepereras, & illâ Eminentiſſimi Purpurati munificentiâ, quâ ſemper bonos, doctoſque viros complectitur*

(a) Tacit. 1. annal. cap. 53.

*ſtitur, ac tuetur. Hoc auctus honore, qui non modò partæ gloriæ retinendæ ſuffecit, ſed etiam conciliandæ valuit ampliori, ad Taurinenſem Academiam advocaris; ſed quòd honorificentiùs, quàm cæteri Collegæ tui à ſummæ virtutis, prudentiæque Rege ſuſcipiaris, non miramur, & , ſi qui boni ſumus, non invidemus; ſunt etenim hæc dexteritati, ingenioque debita Viri prævifis, ſubitiſque parati, parvis, magniſque non imparis, & calamo, & linguâ pollentis. Minùs itaque miror, quòd Correctoris Provincialis officium abſenti tibi, & ſubalpinam Juventutem inſtituenti, Aquitaniæ provinciæ ſodales ſummâ concordiâ, parique ſtudio detulere, ſi mortalium omnium opinione Rex Sapientiſſimus quantum tuæ mentis maturitati confideret, eo demonſtravit, quòd Eugenio Principi te ſtudiorum morumque Rectorem adjunxerit. Nempe Pronepos ex fratre maximi imperatoris Eugenij, Sabaudæ familiæ inclytum pignus, Victori Amedeo Regi, Conjugi, Liberiſque cariſſimum, fuit, eritque tibi præceptis, exempliſque majorum, ac ſuorūm geſtis priſcis, noviſque formandus. Quid effeceris hactenus, ipſe declarat raræ indolis Regius adoleſcens, cujus in teneris annis dicta, factaque nihil non portendunt grande, magnanimum, generoſum, Principe, & ſene dignum Eugenio.*

*Notiſſimos verò in Taurinenſi Academia labores prætẽribo tuos; non enim omnia memorare neceſſe fuerit, quæ geſſeris, quæve ſuſtuleris. Ubi bellum in novos artium Doctores exarſit [ quod in me, licet omnium obſcuriſſimum, haud minùs acerbum, quàm in cæteros extitit, ac inhumanum ] nemo fuit nec ambiguis ver-*

*verbis, neque latentibus magis provocatus, & laceſſitus. Velut partium ducem ſubvertendis veterum Philoſophorum placitis ex longinquis evocatum oris arbitrabantur; omniaque Philoſophiæ tuæ nuper objecta, quæ novis diſciplinarum Inſtauratoribus maiorum noſtrorum ætate crimini data. Nec temperatum conviciis, odiumve lenitum eſt, quod periculoſius olim, quoniam tectius, in apertas tandem, atroceſque erupit injurias, niſi poſtquam pleriſque conſtitit, tantum a veritate teterrimum paucorum, & in obtrectatores relatu facile maledictum abeſſe, quantum novum ſtudium ſapientiæ à veteri rixandi libidine. Exercuit tamen ea tempeſtas amicitiam noſtram, & illam veterem quidem, et ſi fateri licet, ſolâ virtute conciliatam adauxit: & quod difficilium temporum ſingulare pretium eſt, falſas vel diſtraxit, vel non celavit.*

*At non ego temerè facio, quòd te, Vir doctiſſime, multiſque ſilentibus, garrire non deſinam, & non ſolùm amicis, ſed & omni litteratorum nationi meas obtrudam ineptias? Sed in hoc ego non tàm accuſandus, quàm plerique noſtrorum de univerſis bonis artibus male mereri videntur. Qui namque molitur aliquid, ſi conatui nec vires, nec fortuna reſpondeat, hanc pœnam det inanis laboris, ut ne legatur opus à poſteris obliterandum; illi notâ inurendi magis, qui quum profutura mortalibus ſcribere queant, ea levi de cauſſa contemnunt, ac negligunt. Porro de te potiſſimùm, Vir clariſſime, pro noſtra quererer amicitia, quòd nihil ex tanta ſcriptorum tuorum congerie promulgaveris, niſi additi reliquis exercitationibus*

labores

*labores integrum tui otii tempus abſumerent. Quum igitur doctiora tu retineas, ſupprimaſque, prodimus ipſi levium formularum artifices, qui, dum alia meditamur adoleſcentibus forſan non obfutura, præcipuos Taurinenſis Academiæ mores eiſdem expoſitos non ſine complurium commemoratione Juvenum exhibemus. Acceditque reliquis ea quoque cauſsa, quare tibi opus hoc debeatur, quòd nobiles plerique Juvenes, qui a nobis memorabuntur, tua ex ſchola, tuiſque præceptis eruditi prodierint, ut hac honorifica mentione, quaſi præſenti laborum fructu, læteris.*

*Fruſtra verò timerem, ne quod tibi defero munus, ipſe deſpicias, quum amici qualecumque donum non ex commodo, ſed ex voluntate penſetur. Parva, non inficior ſunt, quæ recipies, ſed quæ (ſi vires, & animum attendas) poſt illa potiora, quæ Auguſto Regi dicavimus, ſecundas obtineant; Princeps etenim primas curas, cæteras amici, ſuique merito vindicant. Ex his autem, quòd te potiſſimum legerim, nemo ſuam ad injuriam revocabit, quum omnes pro certo habere debeant, nihil me curaturum impenſiùs, quàm ut beneficiorum memoria viva ſemper, & firma permaneat, ubi vicem aliter reddere nequeam; quippe qui prolixiùs, & cumulatiùs gratiam referre, quàm beneficium acceperim, id demum grati eſſe arbitrer, & amici. Vale.*

# LECTORI

HAud ſane modicam eſſe Lycei Taurinenſis utilitatem, quod Victoris Amedei Auguſtiſſimi Sardiniæ Regis divinâ propemodum liberalitate paucis abhinc annis reſtitutum eſt, neque illi hodie diſſimulant, qui tantæ Principis molitioni, & præcelſo operi nunquam obſiſtere deſtiterunt. Pervagatum illius nomen iam ad extimas Europæ regiones non modò pervenit; verum etiam plurium doctrinâ illuſtrium virorum præconiis neutiquam exiguis celebratur. Quibus tamen moribus hæc hodie inter Italiæ primas Academias adſcribenda regatur, non omnes quidem ſcire hactenus potuerunt; quare pretium operæ me facturum credidi, ſi formulas eas colligerem, quæ vel in uſu ſint apud nos, vel eâ de cauſsâ præſcriptæ fuerint, ut gradus Academici conferrentur. Non tamen prætermittendum eſt, nonnullas in hoc volumine quoque repertum iri, quæ nunc primùm in lucem veniant; factum namque id eſt, ut melius legis Academiæ vim, & poteſtatem expromerent.

Quod autem ad eaſdem formulas attinet, præter eam voluptatem, quam ex cognitione conſuetudinum hujus Academiæ capias, nihil, quod allicere queat, inveneris. Ejus namque ſcriptoris operâ prodeunt, qui præter eam prærogativam, quam habent primi, qui illas noſtram in Academiam intulerunt, nullo ſit

alio

alio nomine commendabilis; imo eâ quoque cauſsâ forſitan ſæpiſſimè reprehendendus, quòd nullam exprimat virtutem illorum, qui ſimiles hodie ſummâ cum laude conſcribere videantur.

Addimus ejuſdem Taurinenſis Lycei legis præcipua capita nunc primum latinitate donata. In hac, quidquid formulis comprehenditur, & in mores perductum eſt, velut in exemplari abſolutiſſimo continetur. Nihil de hujus ſtylo dicimus qui fortaſſe junioribus nonnullis Romanarum rerum minimè peritis priſcus videatur, & obſoletus. At hi non antè priſcum eum loquendi modum exiſtiment, quàm ſciant Ciceronis, Auguſti, atque adeo Veſpaſiani temporibus illum in uſu fuiſſe. Qui ſi primis Inſtitutionum præceptis dederunt operam, turpe putabunt ignorare, quomodo lex a Principis placito diſtinguatur. Hoc enim ſolum ſat erit,ut noverint qui placiti ſeu conſtitutionis, qui legis ſtylus ſit; alterius enim in Codice innumera exempla; alterius in Digeſtis complura fragmenta paullo elementario doctior facilè invenerit.

Secundæ partis loco quaſdam Orationes atteximus, quæ eundem ad finem collineent. At ab his non maiorem quis repoſcat facundiam, & candorem, quàm qui a Pontificii Juris non magno Interprete jure peti videatur. Prodeunt enim una Bernardi Andreæ Lamæ,

Ora-

Oratorum ætatis noſtræ facilè principis, eloquentiſſimæ Orationes, in quibus quantum artis Oratoriæ robur, venuſtas, & ſplendor efficere queant, unuſquiſque perſpexerit. Juvat harum velut oppoſitu viri omni doctrinarum genere exculti cognoſcere in ſcribendo felicitatem, ut eximiæ picturæ pretium, & nitor umbrarum obſcuritate magis & apparet, & emicat.

Cæterum quamvis complura illorum, quos publicè laudavimus nomina, hîc deſcripta conſpiciantur, multa quoque vel inviti reticere cogimur, quòd non omnes quas ſcripſimus formulas invenire potuerimus, quippe quæ nullo apud nos in pretio & curâ fuerunt. Nihil tamen eo caſu egregiorum adoleſcentium famæ derogatum velim; inter quos clariſſimum Juvenem *Octavium Cottum Excellentiſſimi Præſidis Octavii F.* peculiari oratione, quam de ejus laudibus habui, dum celebrare cupio, Typographi præpropera feſtinatione earum filum cõpellor abrumpere. Ut hic ergo vel noſtræ voluntati acquieſcat, vel neceſſitati ignoſcat, exopto: omneſque ſciant non defuturum tempus, quo eorum nomina litterarum monumentis conſignata in poſterorum memoriâ clara ſplendeſcant.

IN-

# INDEX PRIMUS

Nominum illorum, qui viventes, in opere laudantur.

A

AGuirre *Franciſcus Regius Cenſor, & Advocatus* pag. 4
Avenatus *Octavius Senatoris F.* p. 20

B

Badinus *Stephanus Julius.* p. 37
Balbis *Joſeph Philibertus Canonicus.* p. 21
Bellinus *Matthias.* p. 14
Bellinus *Joſeph Ignatius Abbas Canon.* p. 16
Bencinus *Dominicus Theologiæ Profeſſor Abbas.* p. 83
Bertramus *Petrus.* p. 8
Boleonus *Stephanus Medicinæ Profeſſor* p. 12. 67.
Boleonus *Carolus Hyacinthus.* p. 11
Boleonus *Joſeph Antonius.* p. 12. 67
Bottus *Carolus* p. 29
Bottilia *Carolus Antonius Comes* p. 34
Bozottus *Carolus Antonius.* p. 13
Brunus *Franciſcus Bernardinus.* p. 28
Brunus *Joſeph.* p. 76
Buzanus *Joſeph Petrus.* p. 38

C

Cameranus *Honoratus.* p. 40
Cavallero *Ignatius.* p. 24
Clarettus *M. Antonius Comes.* p. 123

Car-

Carretta *Joſeph Secundus.* p. 50
Capra *Joſeph Franciſcus Comes.* p. 52
Capris *à Caſtromonte Johannes Comes.* p. 17
Caſſini *Johannes Gulielmus.* p. 21
Celebrinus *Conſtantius.* p. 18
Corte *Joſeph Ignatius.* p. 54
Cottus *Octavius Præſidis F. Com. præf* p. x
Cottalorda *Horatius.* p. 15
D.
Deblandrate *Veſpaſianus.* p. 54
F
Fantagutius *Paullus Apollinaris.* p. 35
Ferrerius *Vincentius Marchio regii Adminiſtri F.* p. 1
Ferrerius *Antonius.* p. 63
Ferrerius *Johannes Baptiſta.* p. 5
G
Gays *Bernardinus.* p. 3. & ſeq.
Genta *Ludovicus.* p. 116
Gerbaldus *Vitus Modeſtus.* p. 45
L
Lama *Bernardus Andreas Eloquentiæ Profeſſor præfat.* p. x
M
Mainardus *Johannes Dominicus.* p. 44
Malpaſſutus *à Montilio Carolus Ubertus Abbas Canonicus.* p. 27
Malabayla *Lud. Hieronymus Com.* p. 48. e 166
Mazettus *Michael Angelus Comes.* p. 22
Mazeus *Johannes Baptiſta.* p. 71
Mo-

Morotius *Joſeph Franc. Marchio.* p.46. e 152
Morellus *Dominicus Antonius.* p. 123

N

Niger *Paullus.* p. 32

O

Oſaſcus *Cacberanus Johannes Baptiſta Comes.* p. 33

P

Patritius *Fridericus Abbas.* p. 34
Paſſera *Petrus Franciſcus.* p. 51
Pellionus *Carolus.* p. 25
Pellionus *Ignatius.* p. 39
Pellionus *Victorius Amedeus.* p. 56

R

Radicate *Gaſpar Angelus Comes.* p. 36
Reſſia *Petrus Joſephus.* p. 80
Ripa *Veſpaſianus Marchio.* p. 2
Rugerius *Alexander.* p. 55

S

Sammartinus *ab Alladio Franciſcus Flaminius Comes.* p. 30
Serottus *Petrus Joſeph.* p. 43

T

Turri *Dominicus Maria.* p. 49

V

Vialardi *Ioſeph Matthæus Comes.* p. 26
Vicendet *Ioſeph Vaſſallus.* p. 42

Z

Zoppis *Antonius Franciſcus Protopræſidis F.* p. 5. & ſeq.

# INDEX SECUNDUS

## Formularum, Orationum, & Legis Capitum.

B

Baccalaureatus *Formula.* pag. 3

C

Civitatis *pro Profeſſoribus.* p. 31
Civitatis *pro Studioſis.* p. 30
Codicillorum *Magiſterii* vid. *Magiſterii.*
Codicillorum *Baccalaureatus* vid. *Baccalaureatus.*
Codicillorum *Miſſionis honeſtæ pro Theologiæ & Iuriſprudentiæ ſtudioſis.* p. 61
Codicillorum *Miſſionis honeſtæ pro Medicis.* p. 65
Codicillorum *Laureæ pro Theologis, & Iuriſprudentibus.* p. 68
Codicillorum *Laureæ pro Medicinæ Doctoribus.* p. 75

D

Doctoratus vid. *Laureæ, & Codicillorum.*

G

Genta *pro Ludovico Oratio* vid. ſuper indic.

I

Jurisjurandi *Profeſſorum.* p. 82
Jurisjurandi *Candidatorum.* p. 5
Iuris *de Pontificii addiſcendi neceſſitate Oratio.* p. 98
Iuris *de Pontificii facilitate Oratio* p. 131

Lau-

Laureæ *Communis.* *p.* 129
Laureæ *Specialis.* *p.* 59
Legis *Academiæ capita.* *p.* 83
*De Dei ejuſque Matris cultu* ibid.
*De Academię Magiſtratuum offi*cio. *p.*84
*De Studiorum ordine.* *p.* 88
*De privilegiis Academicis* generatim. *p.* 89
*De communibus honoribus tribuendis p* 90
*De peculiaribus honoribus deferendis.* *p.* 93
*Communia de bonoribus Academicis p.* 95
*Sanctio.* *p.* 97
Licentiæ vid. *Miſſionis boneſtæ.*
Litterarum *Patentium* vid. *Codicillorum.*

M

Magiſterij *formula* *p.* 2
Matriculæ *p.* 1
Miſſionis *boneſtæ ſpecialis* *p.* 93
Miſſionis *boneſtæ communis formulas.* vid. *à pag.* 6. *ad* 58
Malabayla *pro Ludovico Oratio* vid. *ſuperiorem indicem.*
Morotio *pro Ioſepbo Oratio*, vid. ibid.

P

Patentium vid. *Litterarum.*

---

*Imprimatur*, V. c. Gen. S. Offic.
V. LE SALUSSI A PAESANA Cenſor.
V. Comes De CASTLETTIS pro D. Com. & Pr. Pr. RICCARDI Magnæ Cancellariæ Cuſtode

# ERRATA

*Pag.* 1. *lin.* 9. matricolæ. *corr.* matriculæ
*pag.* 3. *lin.* 9. quum nullum *corr.* nullum quum ſit
*pag.* 8. *lin.* 2. neceſſitati *corr.* neceſſitatibus
*pag.* 22 *lin.* 7. inveniuntur *corr.* invenientur
*pag.* 23. *lin.* 9. *à fin.* eooptato *corr.* cooptato.
*lin.* 7. *à fin.* coepimus *corr.* cepimus
*pag.* 24. *lin.* 5. *a fin.* Verruce *corr.* Verrucæ
*pag.* 32. *lin.* 13. ſumſerit *corr.* ſumſerint.
*pag.* 59. *lin.* 10. potiore *corr.* potiori
*pag.* 60. *lin.* 14. conſcriptum *corr.* adſcriptum.
*pag.* 70. *lin.* 12. civitates *corr.* civitatis
*pag.* 76. *lin.* 2. *à fin.* habere *corr.* haberet
*pag.* 79. *lin.* 4. non *adde* ut olim
*pag.* 94. *lin.* 17. quam. *corr.* quâ
*pag.* 100 *lin.* 1. poſſum *corr.* poſſim
*pag* 109. *lin* 6. *à fin* ſun *corr.* ſunt
*pag.* 110 *lin.* 6. *à fin.* tradita *adde* exempla
*pag.* 116. *lin* 12. conveniat *corr.* neceſſe ſit
*pag.* 117 *lin.* 7. *dele* ſemper
*pag.* 126. *lin.* 2. ſanitas *corr.* valetudo
*pag.* 133. *lin.* 12. *à fin.* *lege* ſplendididiſſimas.
*pag.* 145. *lin* 8. *à fin.* quid enim *corr.* quid etiam
*pag.* 150. *lin.* 2. *a fin* *leg.* refloreſcere
*pag.* 161. *lin.* 12 permaneat *corr.* remaneat
*pag.* 169. *lin.* 19 laudavimus *corr.* laudabimus
*pag* 175. *lin.* 2. ſeripta *corr.* ſcripta
*lin.* 9. antea *corr.* antę

# VARIARUM AD ACADEMIAM PERTINENTIUM

# FORMULARUM ET ORATIONUM

## LIBER SINGULARIS.

### Pars prima Formulas continens.

### FORMULA PRIMA

*Codicillorum Ordinis, in quem Adoleſcentes adſciſcuntur, ſive Matricolæ.*

QUandoquidem *Vincentius Marchio Ferrerius e Monte Regali, Ampliſſimus Academiæ Rector, Excellentiſſimi Caroli Ferrerij Ulmetæ, & Palatij Marchionis Filius*, bonæ ſpei, & indolis adoleſcens (a) Philoſophiæ in Taurinenſi Archigymnaſio ſedulam operam navare ſtudet, atque in albo ſtudioſorum ejuſdem Archigymnaſij deſcriptus eſt: ejus ob eam rem in Academicorum honorum gradibus petendis ra-

* A tio

(a) *vel Juriſprudentiæ, Theologiæ, &c.*

tio habeatur, ſi de ipſius diligentia, ſtudioque in hac addiſcenda diſciplina præſtitutis Regia ſanctione temporibus conſtiterit. Eundem propterea niſi apud Academiæ Magiſtratum, cui de ſtudioſorum cauſſis notio, ac Juriſdictio Regia Conſtitutione data eſt, in jus vocare ne liceto. Omnia demum, quæ agere, facere, impetrare ſtudioſis omnibus licet iis beneficiis, privilegiiſque, quæ Rex noſter conceſſit, reſtituitque, eidem *Vincentio Marchioni Ferrerio e Monte Regali*, agere, facere, impetrare jus ſine fraude eſto.

## FORMULA SECUNDA,

*Qua Magiſterium artium conceditur.*

OB vehemens, diuturnumque ſtudium, quod in Philoſophię pręceptis, ac inſtitutis optimus adoleſcens *Veſpaſianus Ripa Marchio Jalionenſis* ſeſe collocaſſe rite probavit, quominus ipſe in cõmentarium ſtudioſorum jampridem adſcriptus Theologiæ, ſacræ, civiliſque prudentię (a) gradus univerſos, ſinguloſve ordine petere queat, non prohibemus. Quod autem ſollertiæ, ingeniique ſui egregium fecerit experimentum, uti laudis, ac doctrinarum appetentiſſimo, legibuſque morigero adoleſcenti *Artium Magiſtri* nomen, iis cum honoribus deferatur, qui Magiſtris liberalium artium Athenæi noſtri, communiterque deſcripto Jure, moribuſque debentur, hoc amplius pro poteſtate volumus, ac jubemus.

FOR-

(a) *vel Medicinæ.*

# FORMULA TERTIA,

*Qua Candidati prærogativa tribuitur.*

VEtus eſt Academiarum, & ab omnibus fere recepta conſuetudo, ut ii, qui primis ſtudiorum annis bene traductis, virtutis, & diligentiæ ſpecimen præbuerunt, quibuſdam augeantur honoribus, quibus vix aliud æquius, juſtiuſque; quum nullum ſit in litteris honeſtum, & probabile factum, quod aliquod expoſcere præmium non jure poſſe videatur. Quapropter adoleſcentes expectationem ſui mirificam concitantes, ac ſuſtinentes, qui nempe privato periculo, vel publicis diſputationibus, vel ſuam explorari ſcientiam, non ſine proſpero ſucceſſu paſſi ſunt, vel ſeſe naviter in iſtis exercuerunt, *Baccalaureos* appellare Majores conſueverunt; quæ res, ut olim ingreſſus, & dignitatum initium, nunc alter ſit Academicorum honorum gradus, quibus ad majores adſcenditur; his enim incitamentis Juventus inflammatur ad præclara quæque concipienda mente, & animi viribus exequenda, quum virtutem, non modo præmio dignam eſſe cognoſcat, ſed quæ hominum geſta laudibus cumulet, manderque memoriæ ſempiternæ. Eam igitur ob cauſſam, quum *Petrus Bernardinus Gays* artium Magiſter precibus ſuis declaraverit ſeſe *Juriſprudentiæ* (a) elementa ſollerter arripuiſſe, & conſtitutis Regia lege temporibus, ita in Academia



[a] *vel Theologiæ, vel Medicinæ.*

mia verſatum eſſe, ut diligentem juxta, ac moderatum diſcipulum ſeſe gerendo, ſpem de ſe captam ſuo cum diſcrimine confirmarit, de ea re ita decrevimus: quando *Franciſcus de Aguirre* V. C. Academiæ Cenſor, & Regius Fiſci Advocatus certior factus de ſtudiis, & profectu *Bernardini Gays* artium Magiſtri, eum dignum cenſuit, qui ad alterum honorum gradum evehatur, placere eundem ad *Baccalaureatus* (quem dicunt) honorem merito promoveri.

Quod igitur Deus bene vertat, ex auctoritate Auguſtiſſimi Regis noſtri pronunciamus, *Bernardinum Gays* artium ingenuarum Magiſtrum divini humanique Juris Candidatum eſſe eo jure, quo qui optimo ſunt creati: eique in poſterum publicè, privatèque diſputandi, in Academiæ litterariis conventibus agendi, & ſi ſua intereſſe cenſebit, recitandi jus, poteſtatemque eſſe, uti omnibus, qui ad hunc honorem promoventur, principali ſanctione, vel qua aliâ optimâ lege licet, licebitque.

Sed quoniam modicus eſt laudationis fructus, niſi ejusmemoria diuturna permaneat: propterea haſce litteras a nobis ſubſcriptas, & ſignatas, ut ingenioſiſſimo Juveni ſit ea ſtudii ſtrenuè cœpti teſtificatio, in publicum emitti curavimus.

FOR-

## FORMULA QUARTA

*Jurisjurandi à Candidatis, qui miſſionem honeſtam petunt publicè præſtandi.*

QUod Dei Optimi Maximi religioni, & Sanctæ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ doctrinæ, bonis moribus, Principum juribus, Regiæque poteſtati adverſetur, nec unquam docebo, nec publicè, privatimque propugnabo, neque litteris conſignabo. In his, quæ ad rem pertinent litterariam, & Academiæ regimen, Magiſtratui dicto audiens ero. Regias Conſtitutiones, & Gymnaſij leges, ſanctioneſque ſervabo. Regalis hujus ſtudiorum domicilij, ampliſſimique Collegij Juriſprudentium (*a*) jura, & privilegia pro viribus meis tuebor, & aſſeram: atque in id impensè operam dabo, ut ne quid in his, alijſque omnibus detrimenti capiant.

Ego *Johannes Baptiſta Ferrerius*, ut his conceptis verbis præſcriptum eſt, ita per hæc ſancta Dei Evangelia ſpondeo, ac juro.

*Præludium ſequentis Formulæ.*

SI qua veſtra P. C. quæ mediocris nunquam erga me fuit, hodie remanet, & valet humanitas, etiam atque etiam rogo vos, obteſtorque, ut hunc præſtantiſſimum Candidatum *Antonium Franciſcum de Zoppis* ita recipiatis, ut veſtri patrocinij in hoc, quod daturus eſt doctrinæ ſpecimine, maximum pondus



[a] *Vel Theologorum, vel Medicorum.*

dus eſſe fateatur. Undecimus enim jam annus agitur, ex quo in Ticinenſi Lyceo Pontificio, & Civili juri operam dare cœpit, quæ ſtudia ſumma animi contentione in Academia noſtra proſequutus eſt, atque perfecit. Hunc igitur Patre dignum excellentiſſimo noſtri quondam ordinis ornamento libenter tuemini P. C., eum enim invenietis reliquis, quos privatim audivimus hactenus, cunctis animi virtutibus parem, ſed exactâ diligentiâ, longo, multoque ſtudio potiorem.

## FORMULA QUINTA
## Miſſionis honeſtæ

*Pro Antonio Franciſco de Zoppis Protopræſidis F. Cherij poſtea Iudice.*

QUum Academia noſtra poſt varios caſus ſplendori priſtino reſtituta, hoc te honore dignata ſit, ut divini, humanique juris à te ſtudioſè peracti nobile dederit teſtimonium, eo nomine & tibi gratulari debemus, & nobis lætari, quòd illa ſperatos jamdiu fructus earum afferat doctrinarum, quibus nulla humano generi poſſit eſſe melior, utiliorque. Nihil enim illuſtrius, nihil ad laudem, decuſque tibi contingere potuit optabilius, quam ut primus ſis, qui de Patrum conſilio, novo, præclaroque decreto in Pontificio, Civilique jure miſſionem honeſtam obtineas, & velut publicæ, privatæque Juſtitiæ cuſtos, & Sacerdos pro concione renuncieris. Hujus

ergo

ergo rei cauſſa pileo, veluti quodam apice muneris, & honoris inſigni, caput exorno tuum: quod, ut publicè promeruiſti, ſic ejus geſtandi publicam habeas poteſtatem. Aſt quoniam nihili ducimus ſanctiſſimas didiciſſe leges, niſi vox illa tua, quæ non ſine crebris, eximijſque laudibus in Gymnaſio ſemper audita eſt, in foro Reipublicæ utilitati, pluribuſque ſaluti ſit: cauſſas orandi, & juris in Colonijs, Municipijſque dicundi tibi poteſtas eſto, quam inde factam ex hac, qua te induo, toga, omnes intelligent. Quanta vero Reipublicæ in te fiducia ſit, ex hoc ipſe cognoſces, quòd hos libros tibi bono publico reſerandos, tuâque declarandos ſapientiâ trado; his etenim divina, humanaque jura continentur, & publica, privataque cuncta reguntur, & gubernantur. Quid ergo muneris tui ſit, tecum ipſe diſpicito; tantum te hortor, & moneo, ut quemadmodum hæc tuæ curæ, tuæque prudentiæ ſunt permiſſa, ita quæ communi ſuffragio recepiſti miſſionis inſignia majoribus in dies augeas ornamentis, ut illa tibi, poſteriſque decora ſemper, & ubique ſint *Claudio* nomini glorioſa. Cui priſca claritudine nobili tandem ea de cauſſa congratulamur, quod per te deinceps futurum credimus, ut vetuſta & pene obſoleta renoventur exempla; ſicut enim Nervam Filium Nervæ parentis jurisperitiſſimi viri ſucceſſorem doctrinæ, virtutis imitato-

rem Romani veteres ſunt admirati, quum iſte juvenili ſatis ætate civium neceſſitati, commodiſque conſuleret: ſic, quod optimè tibi eveniat, illuſtrique familiæ, non modò cives, & exteri, quibus adeſſe, proficere paternum, avitumque cenſueris, ſed Pater tuus Præſes excellentiſſimus ſacri, profanique juris cum primis conſultus te *Franciſcum Antonium* juvenem admodum hac poteſtate, quam accepiſti, & ea, quam deinceps habebis, auditurus eſt ipſe vivens, ac videns de jure, bono públicoreſpondentem.

## FORMULA SEXTA

### Ejuſdem argumenti.

*Pro Petro Bertramo.*

SÆpe veſtri ordinis P. C. in me ſum expertus humanitatem, quod mea, quæcunque illa ſint, à vobis probari, non obſcurè cognoverim. At nihil ex hujus Collegij ſententia mihi jucundius accidere potuit, quam ut *Petro Bertramo* ornatiſſimo Juveni honeſtam decerneretis à ſtudijs miſſionem, & quem ego primum juris inſtituris privatim inſtruxi, primis honorum inſignibus juſſu veſtro, veſtroque judicio, publicè meis manibus exornarem. Vobis igitur pro egregijs in me beneficijs, quas poſſum, maximas habeo grates: tuque *Petre Bertrame* candidate lectiſſime macte virtute eſto. Hanc vero togam laboris præmium tui ab eo te ſuſcipere jubeo, à quo primum eruditæ, ac liberæ juriſ-

riſprudentiæ hauſeris elementa. Hoc pileum capiti impone, quæ Sacerdotij illius velut inſulæ ſint, quod Reginæ, ac Servatrici Juſtitiæ Juriſconſultos gerere convenit, ut quemadmodum te ſanctioribus imbui æqui, ac boni myſterijs, ſic majoribus à nobis Themiſtæ ſacris non ullo profano, & horrendi carminis ritu, ſed ex indictis Pontificiâ Regiâque poteſtate ſollemnibus initieris. Ejus non ambigua, & falſa reſponſa, qualia dediſſe fertur, quum Regna, tripodaſque teneret, ſed veritatis, & ſapientiæ plena ut promere potis ſis, hos libros adito: ex quibus certiora Reiquepublicæ utiliora ſumentur oracula, quam ex Phæbi cortina, vel Sybillinis illis, quos adire, præter Decemviros, apud vanæ ſuperſtitionis alumnos priſca religio fuit. Idque poſtremo meminiſſe juvat, te ei deditum ſapientiæ, & quaſi devotum, quæ, ſi ab alijs arcet injuriam, in ſuis nec patitur lædendi ſuſpicionem; ſitque turpis, honeſtique quæſtus juxta impatiens, ac inimica, ubi rem ſanctiſſimam pretio venundares. Non odit juſta compendia: non exigit; & quæ bene ſtudium collocando merereris, petens amitteres. Nullum demum pretium operæ pro Civibus tuis impendendæ, quàm quod beneficia requirunt; quorum ea eſt natura, ut ſtatim ac mercedem repoſcas, intereant.

FOR-

## FORMULA SEPTIMA

### Ejuſdem argumenti

### *Pro Joſepho Comite à Caſtronovo Nunc in Collegium Juriſconſultorum adſcripto.*

SI in conſpectum veſtrum P. C. tales ſæpe adducam Candidatos, qualem *Joſephum Comitem à Caſtronovo* videtis ad certiſſimam ſpem veſtrarum laudum, & publici honoris perductum, nunquam videar aut Regis expectationi, aut Academiæ deſiderijs, aut populi votis, & utilitati defuiſſe. Quem enim Adoleſcentem virtus, & Charites quoque ipſæ, caſtæque Veneres magis adornent, raro viſuri eſtis P. C. & in hunc Prolytarum ordinem rarius adſcituri. Quoniam ergo vos eum in hunc numerum cooptandum cenſuiſtis, univerſus hic doctiſſimorum virorum conſeſſus, omneſque, qui hactenus prudentiam, ſedulitatem, ſcientiam: omnes, qui ſuaviſſimos ejus norunt mores, & vobis gratias, me auctore, agunt, & hac etiam de cauſſa veſtri judicij æquitate, & ſapientia gaudent. Agedum igitur *Joſeph Comes à Caſtro novo* tuæ ſcientiæ cum omni virtute conjunctæ honoris debita cape ſigna; quibus ex Academia in Fora, Præfecturas, conventuſq; omnes litteratorum togato, & pilcato tibi prodire liceat. Hæc enim toga pura illa quidem, ac ſimplex initium tibi futurum eſt earum dignitatum, quas Magiſtratuum prætextæ, curuleſque ſellæ præſeferre ſolent. Etſi

plu-

pluris faciendæ ſunt animi, quam corporis vires: pluris mentis acumen, & morum gravitas, quam manus robur, ac vis, nemo negabit, majorem tibi gloriæ acceſſionem ex hac toga, pileoque factam, quam ex aureis illis coronis, ac militaribus ornamentis, fortiſſimis olim bellatoribus acceſſiſſe videatur. Multum enim intereſt inter ſapientiæ, fortunæque pericula; hæc namque forti, & audaci, ſtrenuo, ac temerario promiſcua poſſunt eſſe: illa ut fiant, niſi docto & prudenti, diuque multumque in his priſcorum ſapientium diſciplinis verſato; acuto itidem, atque ſollerti, religioſeque jus, faſque colenti [ quod ex his libris exprimendum eſt ] à Superis immortalibus haud facile datur. Tu igitur ſpe, & honoribus auctus ſtudia proſequere tua: voſque P. C. juvenem præſtantiſſimum in ſummi petitione gradus honeſtare decreto honorificentiſſimo pergite.

## FORMULA OCTAVA

Ejuſdem argumenti

*Pro Carolo Hyacintho Boleono in idem Collegium adlecto.*

OPtare profecto unuſquiſque veſtrum deberet P. C. ut ſimiles *Carolo Hyacintho Boleono* ſpectatiſſimo Candidato, omnique virtutum genere cumulatiſſimo Juveni ad hos aſpirarent honores: ita namque fieret, ut ætas hæc noſtra haud minus felix illis temporibus eſſet

eſſet, quibus Academia Taurinenſis alumnorum ſuorum famâ nulli ſecunda videbatur. Quid enim eſt P. C. quod in hoc juvene ſive ſacrorum, ſive civilem diſciplinam conſideratis, deſiderandum ſuperſit? An ſententiarum pondus, an reſponſionum eruditio, ſubtilitaſque? an rerum copia: an morum veterum, novorumque ſcientia, an ornamentum non vulgare, & ſplendor orationis? Neque hæc fortaſſe miranda; habet enim, quæ imitetur, domeſtica exempla: habet *Raphaëlem Stephanum Boleonum medicinæ Profeſſorem egregium,* cujus in dicendo gravitas, & venuſtas clarior ſemper evadit, quem laudibus quum proſequi haud poſſim, gliſcente ſcriptorum ſuorum gloria debet eſſe contentus. An qui deſignatum hunc Prolytam effuſo ſtudio literaria curricula conficientem, admotis veluti calcaribus, extimularit impulerit, non fuit tertius *Joſeph Antonius Medicinæ Candidatus optimus* tertia ſane ſpes eruditæ familiæ? Ita nempe Superis propitiis, ac volentibus factum videtur, ut inter duos de rebus doctiſſimis diſputantes, diſſerenteſque germanos, *Carolus Hyacinthus Boleonus* Juris ipſe peritus, quaſi fraternæ virtutis judex, arbiterve ſederet. Ne ſane tanta doctrinæ concordia, atq; conjunctio publico fruſtretur laudis teſtimonio ex ampliſſimi Collegii noſtri decreto honoris ergo te à ſtudiis miſſum eſſe, denuncio, iiſque omnibus dignitatibus habilem, quibus gerendis

dis Pontificis Maximi, Regis Auguſtiſſimi, cæterorumque Principum ſanctiones hujus ordinis ſtudioſos idoneos, habileſque fecerunt, ac fecerint. Exinde liberalis pilei, togæque Academicæ tibi poteſtatem facio, quo veluti ſtipendio auctoratum, & in eruditorum Juvenum ſocietatem, conventumque te cooptatum ex formula ſcito. Hi demum libri tibi erunt ejus, quam accepiſti, præcipua poteſtatis inſignia, quibus non terror incutitur animis, ut prælatis faſcibus, exertiſque gladiis, ſed fiduciæ, inermiſque Juſtitiæ ſigna tolluntur, inopibus, vexatiſque ( quos ubi dolus valeat, & impotentia, bono juvare conſilio, ac tueri debebis ) præſto ſemper, & extemplo adfuturæ.

## FORMULA NONA

Ejuſdem argumenti,

*Pro Carolo Antonio Bozotto.*

QUi otio, ac libidini ſtudent, ideo a via laboris, & honeſtatis declinare creduntur, quòd illa læta, facilia, commoda putent, hanc ærumnarum, triſtitiæque plenam, curiſque velut obſeptam. At nunquam virtuti defuit vera voluptas, quæ magis mulcet, & allicit, quo magis eſt felicis animi propria, & ſine vitiorum, malorumque contagione, mortalium allabitur animis, interiorique mentem, ſed ſuaviſſimo ſenſu delectat. An ullo cenſeam ſinceriori gaudio perfundi poſſe hominum pectora, quam eo, quod ex ſapientia

pro-

profluit, quam obſervantes & Deo,& patriæ, & amicis, & nobis haud inertem vitam ducamus, cunctis innoxiam, pluribus utilem, & quantum ad nos attinet, de humano genere non male meritam? Ecquænam diuturnior, puriorque voluptas, quàm quæ virtutum tuarum memoriâ transferri poſſit in poſteros? Veruntamen hæc [ ut exempla vetuſtiora præteream ] tibi *Carole Antoni Bozotte* minime latent, qui ad hunc lætiſſimum diem ut pervenires, ſocordiæ nunquam indormiens, tot pervigiles traduxiſti noctes. Non hæc tot ſodales ignorant tui, qui ad ſtudium, & civilium diſciplinarum amorem nihil ſibi fecere reliqui. Nunc tibi,& illis, quod bene eveniat, cape pretia doctrinæ, habe laborũ præmia, togam, pileum, & hæc ſanctarum legum recluſa volumina; quæ, & acceptæ dignitatis inſignia ſint, futuræ tuæ ſollertiæ auctoramenta. Quum hæc autem conſequutum eſſe, memineris, animo id quoque voluta, quomodo hujus diei lætitiam, qua delibutus exinde recedes, creſcente virtute, & majoribus impetratis honoribus, facias auctiorem.

## FORMULA DECIMA.

### Ejuſdem argumenti,

*Pro Mathia Bellino.*

B*Ellinorum* virtus non hodie primum eluxit P.C. ſcit enim Academia, cognoſcit patria, nec ignorat Europa, quantum illorum induſtriæ ſit tribuendum. Noſter itaque digna

ſe,

ſe, digna Lyceo facit, ſuiſque digna majoribus, quòd ſollertiſſimam juriſprudentiæ navet operam; cujus rei cauſſa poſſideat Academica præmia, addatque veteribus familiæ titulis nova nomina. Mittatur ergo honoris cauſſa *Mathias Bellinus* a ſtudiis, pileum, togamque capiat Juvenum doctorum inſignia. Libris publici, privatique jurjs fontibus potiatur, & unde familiæ decus acceſſit maximum, ipſe ſcribendo, meditandoque famam, & utilitatem hauriat, & honores.

## FORMULA UNDECIMA.

### Ejuſdem argumenti,

### *Pro Horatio Cottalorda.*

HOc, quod caput tuum velaturum eſt, pileum communi Patrum decretum imperio id cunctis oſtendet, tanti apud ampliſſimum hoc Collegium virtutes fuiſſe tuas, ut dignæ prudentium laudibus, dignæ publico munere cenſeantur. Civilium honorum ingreſſus, atque primordium ex hac tibi toga futurum eſt, quod indumentum eorum proprium, qui Rempublicam gerunt, te muneribus publicis aptum, habilemque declarat. At qua potiſſimum cauſſa hiſce fueris ornamentis donatus, hęc pręſeferunt aperta volumina, quorum arcanam ſapientiam non vi corporis, vel ope fortunæ quiſquam expreſſerit, ſed ingenio duce, ac viam pręeunte labore ſolis illis rectè promere datum eſt, qui veritatis amore Orbis terrarũ pręſidem Juſtitiã ſo-

ſolum obſervare,ſolum colere conſueverint. Quę igitur ab hoc Collegio pręmia tibi delata ſunt, ita ſuſcipias, ut maiora promereri in animo tibi ſit; ita tuearis, ut hæc data eſſe *Auguſtiſſimum Regem*,cujus auctoritate, & iuſſu hæc omnia geruntur, nullo unquam tempore, vel modo pœniteat.

## FORMULA DUODECIMA

Ejuſdem argumenti,

*Pro Joſepho Ignatio Abbate Bellino Mathiæ Fratre nunc Vercellenſi Canonico.*

PLura ſunt, quæ mereri *Abbas Belline* debuiſti, antequam in Prolytarum tabulas nomen tuum relatum, inter optimorum juvenum bene de juriſprudentia meritorum nomina conſpiceretur, multos exantlare labores, multa perferre. Quibus factum eſt, ut nos Candidato meritiſſimo hos honores detuliſſe certi ſimus, & tibi poſt diuturnam expectationem hæc inſignia futura ſint gratiora. Pileum præſtolabare; & illud ea de re tibi decretum agnoſcis, ut frons illa, & caput condecoretur, ex quibus multus pro litteris, & Juris ſcientia manavit ſudor. Libris jugiter inſtitiſti æqui, ac boni cuſtodibus; eoſque pro concione recipies; Neminem enim alium magis hæc volumina decent, quam illum, qui per veſtigandæ veritatis cupidus,raro ſine libris,&pugillaribus eſt viſus.Toga,ſi ulli conveniat, cui magis debetur, quam ei, qui, & virum, & Juriſconſultum juvenis, agit? Ma-

gna

gna hæc quidem ſi poteſtatem ſpectes, quæ tibi conceditur, at longe maiora virtuti ſervantur, ſi ſperatos illa fructus afferre perrexerit. Rara felicitas temporis, quo ſemper mercedē virtutis comitem videre poſſis!

## FORMULA TERTIADECIMA
Ejuſdem argumenti,
*Pro Johanne Comite Capris a Caſtromonte.*

NUnquam P.C. & huius Academiæ claros honores, & veſtra beneficia melius collocata fuiſſe putem, quam in hoc Candidato clariſſimo his dignitatis inſignibus amiciendo; quæ, ſi merita recte perpendimus, jam olim huic debita erant, ſi Juvenis præſtantiſſimi deſiderium, ſæpe, multumque flagitanti ſerius, quam par eſſet, conceſſa videantur. At ſive propria id acciderit, ſive communi quadam Juventutis neceſſitate, veſtrum ſemper laudandum conſilium cenſeo, quod hæc ſigna virtutis, & honoris niſi, qui plurimis laboribus, vigiliiſque diu, multumque in optimis hauriendis artibus deſudaverint, non concedere conſueviſtis. Quamobrē hoc tu pileum *Johannes Comes Capris* nobiliſſime Juvenis, hanc togam induito, non inane quoddam, ac ludicrum ornamentū: at ſollertiæ, at virtutis, at ſapientiæ ſymbolum, atque mercedem: illâque propalam utitor eo modo, quo priſci Quiritium, a quibus juriſprudentiam accepimus anguſti clavi tunicam alterius ordinis viris impertiebant, ut ſimul intelligas

eſſe aliud, quod ab hoc Collegio ſperandum tibi ſuperſit, ut tandem Juriſconſultorum, & Patrum in numerum adſciſcaris. Et quæ laborum tuorum cauſſa fuit, rerum omnium moderatrix juriſprudentia, hæc decoris, hæc laudis, hęc illius, quam tibi deinceps parere debes, origo ſit gloriæ. Hos quoque libros ſanctarum legum evolvito: ex his reſponſa civilis edito ſapientiæ, quæ deinceps in Recuperatorum, Duumvirûmque ſubſelliis expromere queas. Id autem omni ſtudio, ac omni diligentia curato, ut quod frequentis Academiæ ſententiâ eſt hodie declaratum, recte, ac ordine feciſſe te, quod honeſtam ſtudiorum petieris miſſionem, hoc in ſummi, ſupremique gradus petitione primo quoque tempore, majorique cum laudum tuarum acceſſione, & cumulo cenſeamus.

## FORMULA QUARTA DECIMA

Ejuſdem argumenti,

*Pro Conſtantio Celebrino.*

SI, quod eſt in fabulis Pollucis exemplar fratrem diviſa ſecum immortalitate frui malentis, atque inter ſydera micare, quam tota ſe beatitate felicem æterna luce ſplendeſcere, vanum potius alicui, & Poëticis ſolum decorum fabulis commentum effictum temere videatur, quàm pulchra Fraternæ caritatis imago, *Conſtantium Celebrinum* conſideret iſta petentem, quæ diu neglexit inſignia litterarum. Maluit enim eruditiſſimus Juvenis, cui divi-

divinitus contigit id, quod rerum humanarum eſt optimum, ut ejus quamquam aliunde notiſſimi notior eſſet virtus, quàm nomen inter gregarios Academiæ milites agere, quàm honoris prærogativam, ad quam plurima eum merita vocabant, germano natu majori præripere. Cujus exemplum, quamvis haud in magno negotio, quòd ipſa ſemper cũ virtutibus cæteris pietas adoleſcat, humano generi conducibilius arbitror, quàm per Romulum, Philadelphum, Perſea, Caracallium geſta, hiſtoricis monimentis nobilitata quidem, at cæſorum fratrum ſanguine contaminata, & barbaricis fœdata ſceleribus violatæ naturę. Nunquam ego lubentius de his præmiis conſtituiſſe vos arbitror, quam ut hęc docto, proboque Candidato decerneretis, majora quoque daturi, ni ſtudiorum potius tempus, quàm illis quęrenda doctrina deficeret. Jubentibus ergo Patribus, & una gratulantibus, ſuſcipe pileum, & libros; quę plurimis ſatis grandia virtutis pretia ſunt, tibi maiorum velut arra, ac ſponſio præmiorum. Quæ ne uno Senatus noſtri conſulto conferantur ſi leges vetant, quod vetant, non tollunt, at differunt. Nec gloriâ caruerit allata dilatio; quippe ſi maturæ virtutis in longum mercedem trahas, meritis morâ ipſâ creſcentibus prolatata præmia vix paria reputantur.

## FORMULA QUINTA DECIMA

Ejuſdem argumenti,

*Pro Carolo Octavio Avenato Senatoris F.*

PArum ſi dixero P.C. in *Caroli Antonii Avenati* adoleſcentis eximii commendanda ſollertia, non id putetis Candidato plurimæ ſcientiæ tribuendum. Nihil enim foret, quod meritò de hoc prædicare non poſſem. Ingenii, & prudentiæ ſplendor ſimul emicuit. Nec ei deſunt exempla domeſticæ ſapientiæ adhuc in communi hac luce ſpirantia, & futura fortaſſis apud poſteros in illuſtrium virorum memoria clariora. Id mihi propterea velim attribuatis, qui, dum juveni pileum doctrinæ inſigne concedo, togam eundem juſſu veſtro induere jubeo, libriſque divini, ac humani juris ejus in ſtudiis diligentiam memorari, ac juvari ſignifico, vobis in omnibus morem, Patres conſultiſſimi, gero. Exercitationibus feſſi continuis, brevem (an fallor?) orationem cupitis? Habetote breviſſimam. Hæc ætas extulit adoleſcentem æmulum paternæ integritatis, ac laudis, avidumque gloriæ ſæculi ſui. Quod reliqui proferam, nihil habeo; nam quod ad te Adoleſcens, & patrem clariſſimum attinet, hanc mihi veniam date, ſi malim hîc dotes veſtras ſubticere, quam loqui. Apud tales, ideſt acutos viros, & ſapientes, non minus in pretio virtus eſt, quod vel coram laudetur parce, vel voce ſilente, probetur.

FOR-

## FORMULA SEXTA DECIMA

Ejuſdem argumenti,

*Pro Joſepho Philiberto Balbis Canonico Maurianenſis Eccleſiæ.*

PIleum, togam, & libros tibi de Juriſprudentia benemerenti, *Joſeph Philiberte*, Senatus noſtri conſulto, ſed ex Regia auctoritate concedo. Dixi: nihil vos moror, Patres, ſi ita videatur, diſcedite. Vos, quod veſtrum, ego, quod meum erat, abſolvi. Inſignia Juveni non inſipienti dedimus; ſatis illa ex ſeipſis illuſtria, ſi jure debita. Prævertit iſta, decoratque virtus; denunciant illa virtutem. Aſt naſcentis doctrinæ ſunt iſta decora; quid, Prolyta, adultæ promittatur, intelligis: hæc ad majora ſpecimina, ſi mihi credis, ſemper allicient, ſemper trahent; nobis aliquid ultra concedere fas non eſt. Ita tibi in poſterum optima quæque agendi locus erit; nobis dandi majora. Sic itaque [ te hodie hoc pollicente ] vivemus, quaſi tua, & nova merita præſtolantes: tu noſtra præmia ſic præſtolare, quaſi ob hæc vivas.

## FORMULA DECIMA SEPTIMA

Ejuſdem argumenti,

*Pro Johanne Gulielmo Caſſini.*

PLerique P. C. tales præſtitere ſe ſe, quales ad Juriſconſulti exemplum compoſitos requirimus Juvenes. Quem tamen inter tot Candidatos uno *Johanne Gulielmo Caſſini* Candidato notæ virtutis dixerim in ſchola, & vobiſcum magis aſſiduum, vel qui attentius,

ac ſollicitius ſe diſciplinis civilibus aſſeruerit? Ego quidem puto nullum fuiſſe Academiæ experimentum in hac ſapientiæ ſede perfectum, in quo non eum conſpexerimus modò, ſed & ſuam non ſimus attentionem, diligentiam, curam, vigilantiam admirati. Quid plura? Multi fortaſſis inveniuntur, quos Juriſprudentiæ, ut ſic dicam, intime tangat amor, nemo tamen illum ſignis, factiſque magis declaravit. Jure propterea, meritoque Juvenis bonis artibus addictiſſimus in eorum recipiatur ordinem, quos hactenus ſuſpexit, ac frequentavit. A ſtudijs honoris cauſſa miſſo togæ geſtandæ perpetua poteſtas fiat: ei nempe, qui nihil omiſit, quod pertineat ad ſtudioſum, quo diligentior nemo reperiatur. Pileo veletur caput optimis, ſaluberrimiſque præceptis imbutum. Dentur diſcendi cupidiſſimo libri, & præmium ſimul, & materia laboris. Cuncta demùm honorifica tribuantur, qui cuncta paſſus incommoda ſtudiorum eſt, & qui hęc accipit, ſed cumulatos doctrinæ fructus mox redditurus.

## FORMULA DECIMA OCTAVA

Ejuſdem argumenti,

*Pro Michaële Angelo Comite Mazzetto.*

MAjores noſtri P. C. ætatem ita diviſam voluerunt, ut quum homines certam ejus partem attingerent, virilem togam ſumerent, auſpicatò tamen, ac rebus divinis factis, ut rerum bene, & fortiter gerenda-

rum

rum initium à Superis immortalibus repeterentur viderentur. Melioribus nos auſpicijs togam induimus, quippe non ætati illam tribuimus, ſed virtuti, & hanc non ex corporis habitu, & robore, ſed ex mentis acumine, & viribus æſtimamus. Hoc modo clariſſimo Juveni togam hodie concedimus, quę non adultum eum eſſę oſtendat, ſed Virum. Pileum nos addimus neutiquam operiundo capiti, ſed honorificis Academicæ dignitatis exuvijs exornando. Libros potiſſimum adhibemus; nam quod viro litterato, & Juriſconſulto inſigne præclarius? Quodnam Juveni ſtudioſo ad diſcendum invitamentum præſentius, aut utilius inſtrumentum! Hiſce *Michael Angelę Comes Mazzette* potitus, quid habeas, ſcis, quidque ſperare poſſis, habes: majora ſperato, ſed ita, ut, dum illa ſperas, ea ſtudeas ut aſſequaris.

## FORMULA UNDEVICESIMA

Ejuſdem Argumenti,

*Pro Dominico Antonio Morello,*

*In Juriſconſultorum Collegium cooptato.*

QUum publico diſputationis periculo in ea, quam de te privatim cœpimus, ſpe, hodie nos adeo confirmaris, ut Patrum ſententiâ tibi honeſta ſtudiorum miſſio ſit decreta, quo teſtimonium tibi perhibeatur virtutis egregiæ, hoc pileo te *Dominice* dono, quod ſuſcepti pro re litteraria laboris præmium ſit, & inſigne gloriæ apud poſteros

immortalis. Togæ quoque geſtandæ tibi facio poteſtatem, quam moribus, inſtitutiſque noſtris nulli Juris Candidato induere licet, quin cauſſas orandi, Præfecturas ſine fraude petendi, illaſque bono publico adminiſtrandi Jus habeat. At quod omnium caput eſt, & præcipuum, hæc tibi pervolutanda civilis ſcientiæ volumina, & explicanda permitto, ex quibus pro Reipublicæ ſalute, & regimine, pro privatorum utilitate, & commodo, æqua conſilia, & decreta ſumenda ſunt; neque tamen verendum tibi, ne in vulgares, humanoque generi noxios incurras errores, ubi veterum illorum expreſſeris diſciplinam, qui univerſum pene terrarum orbem ad optimas leges, & inſtituta ita compoſuerunt, ut accepta pręceptis eorum æquitas, juſtitia, & humanitas ipſa referenda videatur. Tandem, quod Deus volens propitius vertat bene, te hortor, & moneo, ut civilis hæc ornamenta virtutis majoribus auctibus augere pergas, ut Academia ſummis honoribus proſequatur alumnum egregium, & civem te Reſpublica ſentiat utiliſſimum.

## FORMULA VICESIMA

Ejuſdem argumenti,

*Pro Ignatio Cavallerone, poſtea Verruce Juridico.*

NIhil tam conjunctum prudentiæ civili quum ſit, quàm Pontificij juris ſcientia, ut vix ille rectè dicatur Juriſconſultus, qui non utramque ſequatur, bene tecum

actum puto *Ignati Cavallero* genere, ac doctrina ſpectabilis adoleſcens, ſi Patres poſt decretam civilis juris miſſionem te quoque ſacrarum legum honore dignentur. Hoc itaque pileum, quod iterum ſuſcipis, ſit ejus, quam accepiſti, dignitatis complementum; nam publici juris enucleandi poteſtatem illi addidiſſe æquum fuerit, qui ſtudia ſtudijs augeat, laboribus labores accumulet. Parum tibi fuit humanas noſſe leges, niſi divinas quoque poſſes interpretari: hæc igitur cape volumina: munere fungitor, & ſacri Juris, quod cætero præſtantius eſt, ſenſa diſquiſiturus in Pontificum recipitor adyta. Demum hanc togam, quam ſuſcepiſti, ſic gerito, ut nunquam obliviſcaris divini, humanique Juris Prolytam creatum, quæ Divino, quæ humano comprehenſa ſunt jure, non modo ſcire debere, ſed ab omni violati divini, humanique Juris macula abeſſe.

## FORMULA VICESIMA PRIMA

Ejuſdem argumenti,

*Pro Carolo Pelliono poſtea Leinici Iudice.*

SErò tandem tibi conceduntur honeſtæ miſſionis inſignia: at conceduntur tamen. Non equidem tam laborioſum fuerit ad hæc adſpiraſſe, quam hæc conſequutum ſemel, ac tandem eſſe, glorioſum. Eluxit doctrina, eluxit modeſtia, & labor eluxit, quibus omnibus ducibus, tibi hæc, & majora comparantur, quò tardius con-

conceſſa, eò illuſtriora. Pileum, & togam accipito nulli magis debitum, debitamque; Quidni & iſta dicam, quæ commemorantur ab omnibus? Superat tua virtus invidiam. Libros hos demum accipe, quos ſociorum tuorum nemo magis fortaſſe pervolutavit. Hæc equidem exantlatorum à te laborum præclariſſima ſigna: hæc (dum tibi jure optimo conceduntur] alijs, qui te imitari debent, acerrima incitamenta.

## FORMULA VICESIMA SECUNDA
### Ejuſdem argumenti,
### *Pro Joſepho Matthæo Comite Vialardi.*

NEque doctrina, neque meritis deſtituetur *Joſeph Matthæus Comes Vialardi*, ſi hoc breviſſimo tempore laudibus, & Oratore deſtituatur. Ita namque cenſeo P. C. ut ſolem, ſic virtutem, ut aurum, ſic viri ſcientiam ſua luce, pretioque contentam eſſe oportere. Fecit operæ pretium, qui, nulla quoque mercede, benefactorum præmium in ſola conſcientia collocavit. At huic quamvis verbis noſtris nec adornata non deſunt inſignia, pileum, toga, volumina; exinde caput, humeros, manus clari moribus, & ſanguine Juvenis domi, & foris honeſtatura. Quod Oratoris munus erat, iſta præſtiterint. Nam ſi à vobis hæc ipſa decreta, hoc pro ſummo præconio fuerit, non immerenti vos detuliſſe. Ergo ſi Candidati dotes iſta ſub omnium aſpectum ponere queunt, ſi in Academia

demia, ſi in foro peræque nitent, honorant, illuſtrant, quid amplius agam, vos ego morans nihil acturos? Intelligo P. C., & ſinam, ut actâ quaſi fabulâ, ſpectatores Juveni plaudant, & conventus, me tacente, diſcedat.

## FORMULA TERTIA ET VICESIMA

Ejuſdem argumenti,

*Pro Carolo Uberto Abbate Malpaſſuto à Montilio, poſtea Caſalenſis Eccleſiæ Canonico.*

NOn mihi eam Superi dedere mentem P. C., ut homines, vel ob fortunæ beneficia, vel ob naturæ munera laudarem. Quę namque ſunt viri partes, ubi nobilibus ſe ſe parentibus ortum, ubi copijs affluentem, beatumque ſe prædicet? Porro nihil facilius in hujus inauguratione Candidati, quam nobilitatis ſuæ decus, & cumulum honorum expromere. Ullumne ex ijs, qui præceſſerunt eo nomine, crediderim præſtantiorem? At hęc omnia, vel non ſua, vel pleriſque communia; illa, lectiſſime Juvenis, propria, & quaſi privata, doctrina videlicet, & virtutum in adoleſcente prima, modeſtia. Hac ſummis æqualis: illâ nulli ſecundus: hæc fundamentum excelſæ nobilitatis, illa generoſi pectoris ornamentum: hoc utriuſque rariſſimo fœdere magis gratum, ac ſpectabile nihil. Quum ergo hiſce virtutibus æquales longe ſuperaris, optimo Jure honeſtæ miſſionis decora tibi permiſſa, pileus nempe; quo præſertim ornatu Juvenem gloriari de-

decebat, qui præſtantis ingenij ſodalibus ijſdemque nobilibus famâ præivit. Quid in Urbe, & in otio claram natalibus juventutem agere deceat, hoc exemplo cognoſcat. Ex libris, quibus de more donaris, diſcent plerique nobilium, quæ tandem civilis ſit diſciplina, quam innumeri profitentes, aſſequuntur pauci, non copijs ex venali ſcientia inhiantes, ſed virtutis, & laudis, ſi cætera deſint, lucro contenti. Toga, qua nunc amiciris, te ea prudentem ætate circumdat, qua levia, & præter modum jucunda complecti cunctis impunè, multis loco dexteritatis, aut magnitudinis animi fuit. Et utinam voluptatum remiſſiora, & ſapientiæ ſtudia forent intentiora; non tam enim rara vera laus videretur, nec virtutum nomina vitijs imponere cogeremur, nec illas in veteribus, majoribuſque commemorare poſſe: vino, ſomno, ludo, libidini ſtuduiſſe, ea nunc ignavis, ſocordibuſque nobilitas eſſet.

## FORMULA QUARTA ET VICESIMA

Ejuſdem argumenti,

*Pro Franciſco Bernardino Bruno.*

VIrtus P. C., quæ nunquam à labore ſejungitur, ita nutritur, & creſcit, ut præmiorum ſpe vires in dies acquirat, donec ſuo firmata robore, nec ſpe, nec timore mutetur. Nec ullum magis Juvenum virtuti proſpexiſſe Rege prudentiſſimo cenſeam, qui longo intervallo reſtitutis varijs honorum ge-

neribus, operâ veſtrâ ſive recens illam natam, ſive paullo grandiorem, ſive florentem, & optimos producentem fructus apto veluti pabulo ſuſtentat, & alit. Quarum rerum ergo non ſolum providentiſſimo Principi, quod opus abſolvere properet, ſed & vobis gratiam ſtudioſa Juventus habere debet, cujus laudi, & commodo, cujus famæ, & gloriæ, diligentiâ, ſudore, doctrinâ conſulitis. At ſi quis grati animi ſigna erga vos oſtendiſſe videatur, is profecto putetur *Franciſcus Bernardinus Brunus* nec immodeſtus Juvenis, nec imperitus. Hunc equidem ſuorum meritorum immemorem ſolâ gratiſſimi beneficij veſtri recordatione devinctum, obligatumq; dimittitis, quippequum, & quod eſt, & quod futurum ſe fore ſperat, totum vobis debere prolixe, cumulatèque fateatur. Itaque quod vos pileum, & quam togam ipſum à me ſumere voluiſtis velut accepti muneris ſignum induit, & eximiæ in ſe beneficentiæ monimentum. Sic autem voluminibus iſtis utetur, ut eundem hæc à peritiſſimis Patribus accepiſſe, nunquam pudeat: voſque nunquam pigeat conceſſiſſe.

## FORMULA VICESIMA QUINTA

### Ejuſdem argumenti,

*Pro Carolo Botto.*

QUod ſemper optaſti tempus advenit, diligentiſſime *Botte*, quo & doctrinam tu oſtenderes tuam, & nos Candidato multę

ſol-

ſollertiæ debita præmia jugi, conſtantique labore parta retribuamus. Ut nos ingenii tui vim, aciemque cognovimus,ſic animi noſtri judicia, quæ de te ſint,hæc dona præſeferunt. Pileum namque, quod geres, liberalium diſciplinarum ſtudioſum te adeo in iliis profeciſſe ſignificabit, ut ex litterario certamine coronatus evaſeris. At hæc corona pretioſiorē expectat, quæ dumtaxat conceditur illis, qui non inchoaſſe contenti ſunt, ſed perfeciſſe quod cœperint. Toga virum te eſſe demonſtrat, quam te geſtare, non raro conveniet; nihil igitur quod grave non ſit,cave viro excidat tibi. Nullo tamen præſtantiori ſigno declarari doctrina potuit, quam libris iſtis, qui te illam nactum eſſe deſignant, ac deinceps adaucturum promittunt. Vale propterea Juvenis familiæ decus tuæ, & ita cœpta perfice, quemadmodum ominamur: teque incolumem ſerva Reipublicæ, literiſque.

## FORMULA VICESIMA SEXTA

Ejuſdem argumenti,

*Pro Franciſco Flaminio Sanmartino Comite ab Alladio.*

NObiliſſimo, ſtudioſiſſimo, & Academiæ ſpectabili quondam, lectiſſimoque Rectori librorum,togæ,pilei munera deferuntur. Non fuerunt adoleſcenti volumina, non magiſtratuum hæc indumenta Juveni inuſitata: nec ſi pileum diademati ſimile fecerim, incognitum verè fuiſſe dixeris tam electo generi

ri diadema. Quæ damus igitur non nova, ſed debita. Debuit genio ſanguinis indulſiſſe: debuit quoque ſuo. Nihil vulgare ſplendidiſſimus ille poſcebat, at præclara, præcipua; magnis hic ſuâpte naturâ ſtudebat; præſtantius quod exhiberet, in hoc litteratorum otio, in hac florentiſſima pace quid habuit? Percurrit honores congruentes ætati: non labori, non ſtudio pepercit media [ quod magis mirentur omnes ] in aula. Ad id perſequendum ſuo incitatus ingenio fuit, quod niſi moliretur, poterat Principis perſpectâ voluntate perficere. Mirandum, & hoc poſteris, novum nobis exemplum: miniſtrari proxime Principi poſſe, cuius domeſticus, & nobilis famulatus incendat ad ſtudia, & cui dum obtemperes, queas ſervire Regi, ſervire litteris. Non multum de ſuo commodo oportet eſſe ſollicitum, qui ſic imperat: niſi ſuum ad commodum revocet, quæ ſit utilitas ſuorum, ac publica. Quis unquam ante vidit ex aula nobiles Juvenes ſecedere in Academiam? Quis unquam ex Regio ſplendore, lautitiis, munditiiſque naſci viderat Muſarum amorem? Quam bona nobilis eſſe debet Juvenis indoles, quem hæc non ineſcant; bonique Principis quantum valere debet nutus: quantum auctoritas, ſi mores Juvenum ſic format, & expolit? Felices, quibus illa contigit: at utique feliciores, quibus ſic imperatur, ut juſſa & menti, & moribus, & ſocietati proficiant.

FOR-

# FORMULA VICESIMA SEPTIMA

## Ejuſdem argumenti,

### *Pro Paullo Nigro.*

SI unquam Academia noſtra ſummorum ingeniorum copia redundavit, nunc profecto maxime laureatorum Juvenum ſtudio lætatur, affluit multitudine, gloriâ triumphat. Sic enim vidimus otii fuiſſe ſterile tempus, ſic doctrinis abundans, ut quod tempus decernendis honoribus deſtinatum eſt [nec profecto eſt illud exiguum] integrum, ſi hodiernum diem excipias, ſummis dignitatibus afficiendi Prolytæ ſumſerit. Gaudeo tamen inter tot eruditos Athletas laureâ quaſi Pythicâ coronatos, hoc pileum cum libris, & toga doctiſſimo juveni decretum fuiſſe, ut ne ſtudiorum labore perfunctis ſemper delatâ coronâ, hæc abeſſet ab iis, qui in palæſtra decertant una & merces, & ſtimulus. En igitur tibi hæc *Paulle Niger* ipſa detulimus: Candidato, ut nobis videris, rem cum ſæculi vitiis, ambitione, voluptate, deſidia gerenti. Hanc egregiè Spartam ornato: eam ſtudendo palmam aſſequere; tunc mihi potior eris, quam in Græcia quondam ſacris è certaminibus rediens Olympionices, ac Romæ triumphans. In ludo, ac bello ſuperaſſe cæteros, quam domi ſemetipſum viciſſe minus egregium eſt. Glorioſa ſane victoria! Qui namque pugnantes vicerint alios, plures: pauciſſimi ſunt, qui ſe vicerunt, & vincant; pulcherrimum verò,

quod

quod maxime rarum.

## FORMULA VICESIMA OCTAVA

Ejuſdem argumenti,

*Pro Johanne Baptiſta Comite Oſaſco Cacherano.*

CLaris, magniſque parentibus ortum Juvenem ea maximè decent, quæ vetuſtam familiæ claritudinem non obſcuraſſe, ſed magis auxiſſe videantur. Vana nominis ſpecies, & larva quædam inanis, ac fallax nobilitas eſt ſine virtute. Quis enim ferat hominem geſtis majorum elatum, quæ vel ignavia, vel turpitudine dehoneſtet ſua? At ſplendida lucent illa, niſi tenebras vitiorum offundens ipſis defueris, quod te feciſſe, clariſſime Juvenis, videmus, atque lætamur. Ea propter Academico ornatu inſignis habeberis, ut nobilis juventus agnoſcat, non tam decorari te nativa ſanguinis claritate, quam illam propria tua luce fulgere. Ex libris iſtis, unde civilem, & ſacram hauſiſti prudentiam, maius tibi decus accedit, quòd cœptus ſis haberi magnis rebus idoneus; id quoque toga, pileoque portenditur, quæ noſtris inſtitutis, neque vana ſunt ſigna virtutis, neque mendacia. Sic tua tibi ſervatur claritas, ſic generi; labore, & virtute parta, ſine labore, ac virtute deficiunt. Familiæ namque lumen, vera nobilitas, difficilius licet incipiat, quam cœpta cuſtodiatur: ſubducto virtutum pabulo, nec unquam cœperit, nec unquam, præterquam in vulgi opinione, conſtiterit.

*G FOR-

## FORMULA UNDETRICESIMA
### Ejuſdem argumenti,
*Pro Friderico Abbate Patritio a Scagnello.*

QUam Patres, togam, quem pileum, quæ juris noſtri volumina peramplo decreto, detulerunt, hæc tu *Abbas Patriti* apud ſtudioſos omnes, ac in propatulo recipis. Modicus ne honos hic tibi putatur? Non te quid demus, reputare convenit, at quibus hæc deſtinata. Studioſis, probiſque dantur: ſtudioſum, probumque decreto publico declarari, ſi cui paruum contemtumque videatur, hoc ipſo ſeſe contemnendum, & deſpicandum jam propinavit. Quid? Alia fluxa, & caduca bona magni quis ducat præ fama, præ gloria? Nulla auri vis, nulla humana beatitas huic uni ſit comparanda. Sed quæ, Superi, tandem eſt iſta gloria! Quæ nempe fluit ex doctrina, atque virtute. Nunc abi, & aliud quære præſtantius, aliud cogita melius. Niſi enim animo bono, & excelſo virtus ſufficiat doctrinæ conjuncta; &, quod illarum fructus eſt, clarum nomen, quid ſat eſſe poſſit, & tu nunquam repereris, & ego fruſtra requiram.

## FORMULA TRICESIMA
### Ejuſdem argumenti.
*Pro Carolo Antonio Comite Bottilia.*

MAgnum equidem P.C. & nobili dignum Juvene præmium illud eſt, quo virtus, & doctrina dignoſcitur, & denotatur. Quid enim

enim aliud magis expoſcunt generoſæ Juventutis animi, quam ſcientiæ, quam gravitatis opinionem? Quare non parvi academica decora ſunt pendenda, quibus, quod bonum ex omnibus eſt perfectiſſimum, ſapientia commendatur. His ergo, quum tu *Carole Antoni Comes Bottilia*, condecoreris, quid quæſo eſt, quod ea, quam agis, ætate cupere magis, honeſtiuſque poſſis? En togam habes, & pileum, quo legum matura peritia deſignatur, illa nempe tua præcox, & pluribus nota periculis. Libros accipis ſacri, profanique Juris, in quibus cuncta penitus vivendi præcepta, & Juſtitiæ dogmata quum expreſſeris, hauſeris, ingentem gloriæ ſegetem ſis inventurus.

## FORMULA TRICESIMA PRIMA

### Ejuſdem argumenti,

*Pro Paullo Apollinari Fantagutio.*

QUod clariſſimorum virorum teſtimonio, Collegiique ſententia ita te, *Paulle Fantaguti*, bene de noſtra meritum Academia fuiſſe, atque Juriſprudentiæ operā navaſſe liquet, ut dignus videare, qui honeſtam ſtudiorum obtineas miſſionem, hoc pileum olim libertatis, nunc ſapientiæ ſignum accipito, quo tamquam ovali, vel ſacra minore quadam corona caput tuum exorno. Hanc quoque togam capito Advocatorum, & Magiſtratuum

inſigne præclarum, ut poteſtatem tibi factam intelligas cauſas orandi, ſimulque cognoſcas in municipalibus honoribus petendis tui poſſe rationem haberi. At quum hæc munera obire debebis, illud attendito, nihil ſcilicet à Jure alienum, aut profitendum, aut ſtatuendum tibi; quam ob cauſam hos libros Romanæ ſapientiæ fontes recludito, ex quibus optima queque derivanda doctrinæ ſunt, qua vel in Jure dicundo, vel in cauſis agendis utaris. Ad extremum huius Academię nomine tibi denuncio, ut maiora ſemper ſcientiæ pericula facias, quo tandem ad eorum te numerum adſcribamus, qui ſummis ab illa acceptis honoribus, æternum nomen, & gloriam adjunxerunt.

## FORMULA TRICESIMA SECUNDA

Ejuſdem argumenti,

*Pro Comite Gaſpare Angelo Radicate.*

NEmo fortaſſe P. C. aut ſtudioſius, aut ſubmiſſius à vobis hæc petiit, quam *Gaſpar Angelus Comes Radicate* nobilis candidatus, cui me hercule nihil defuit, quo doctus juris Candidatus, quo optimus Juvenis pollere deberet. Nemini propterea juſtius ad hæc aditus patuit, quam huic uni, qui ut magis hęc promeruiſſe videatur, nihil ſe promeritum eſſe fatetur. Superata doctrina a modeſtia ſit, an modeſtia ſcientiâ vincatur, ſatis ambigere queas, dummodò rearis utramque prudentiſſimo Juveni ſummam

eſſe.

eſſe. Hęc tamen præmia doctrinæ ex conſuetudine dantur, cui ſociam adfuiſſe moderationem magis laudabile fuit. Et pileo igitur, & toga induto in publicum prodeundi tibi facultas eſto, ut quæ bene, & ordine poſtulaſti, munera geras. Hæc autem verecundè, dum flagitas, decorem meritis adjungis; nam doctrinæ modeſtia ſic eſt ornamento, ut ori honeſto, & liberali ingenuus quidam, & virgineus pudor. Unde quoque tibi hæc omnia evenere, illuc te revoco: libros conſulere jubeo, ſapientiæ civilis origines: inde prima hauſiſti elementa, hinc perfectam legum ſcientiam habiturus. Meruit approbationem induſtria, meruit & pudor amorem; felix principium auſpicatiſſimæ poteſtatis! Cuncta aſſequutus eſt Juvenis, quem, probi, & prudentes, & magni ducant, & ament.

## FORMULA TRICESIMA TERTIA
Ejuſdem argumenti,
*Pro Stephano Julio Badino.*

EXtremum prælij ſperata victoria: victoriæ palma ſupremum eſt. Quid intereſſet tantum in Juriſprudentia profeciſſe, niſi virtutis, *Stephane*, fructum aliquem expectaſſes? Neque incaſſum es præſtolatus; en tibi pileum pro navata litteris opera impono: libros do: te quoque induo toga; hæc dimicationis tuæ expectata fuere ſtipendia, quibus potitus honores ampliſſimos opperiris. Nul-

la meta cupiditatibus, dignitatibus autem præſcripta meta, ultra progredi nemo poteſt. Has tamen ſic exoptato quaſi nulla ipſis eſſet præſcripta meta. Nihil non aſſequeris, ubi ſic omnia concupiſces: nihilque non bonum optabis, ubi contrarium acturus, dedecoris maculam exhorreſces. Quamvis in prærupto loco virtutis, & artium ingenuarum templum ſitum eſſet, ad illud adires, imò advolares, deſiderio, & metu comitibus. Hi ſegnibus quoque dant alas; ex ignominiæ namque timore, ex gloriæ cupiditate quid naſcitur? Mentior, niſi virtus, & doctrina naſcatur.

## FORMULA TRICESIMA QUARTA

Ejuſdem argumenti,

*Pro Joſepho Petro Franciſco Buzano.*

NOn equidem præmia, ſi juſti ſemper fuimus, benemerentibus deeſſe debuerunt. Id perſpectum vos habuiſtis, quum hæc P. C. Juveni præſtantiſſimo decreveritis. Pileum namque, quod nunc impono, *Joſepho Petro Franciſco Buzano* vos conceſſiſtis. A capite exordior. Caput omnium honeſtarum cogitationum promtuarium fuit. Toga corpus ejuſdem innecto, nobili videlicet omnium civilium poteſtatum integumento: hoc ejus alterum erit inſigne, qui ſudavit, & alſit doctrinæ potiundæ cauſsâ. Demum libri manibus dantur Pontificiæ, Romanæque Juſtitiæ, perfectæ nempe doctrinæ cauſſæ imperfectę

fectæ præſidia. Hæc, Adoleſcens, ne contemne præſidia: hiſce utitor ſcientiæ cauſſis. Non inſperata gloria ſequetur, quem frequentem hæc volumina ſpectatorem habebunt. In hoc labora, deſuda: inque hæc luſtranda totus incumbe. Hoc ſolo pretio numeris omnibus abſoluta doctrina comparatur. Vile ſane pretium, quo nullo comparanda theſauro virtus, & ſapientia comparatur!

## FORMULA TRICESIMA QUINTA

### Ejuſdem argumenti,

### *Pro Ignatio Pelliono.*

QUæ moribus, inſtitutiſque majorum ſtudioſis Juriſprudentiæ præmia tribuuntur, illa, *Ignati*, ſic tibi debita ſunt, ut quæ ſunt maximè; neminem enim fugit quanta tuæ ſit doctrinæ, & eruditionis copia, qualis dicendi candor, & integritas, quanta Pontificij, & Civilis Juris priſcarumque rerum, quum ſacrarum, tum civilium ubertas, & peritia. Jure itaque pileum cape, quo, dum honeſtaris, intelligis talem eſſe doctrinam, qua polles, ut in hoc pulvere pro virili depugnans coronam merueris, atque præconia. Quam diſpar corporis, animique victoria! Vires oſtentabant in arena Romani cum immanibus belluis digladiantes, integrâ famâ, ſi id non compulſi facerent: at *honoratos* maculabat infamia; (*a*) decertant in hoc ſapientiæ ludo vim mentis Juvenes exerturi,

[*a*) *Vid. l.* 1. §. 6. *ff. de poſtuland. & S. Cyprian. epiſt.* 56. *p.* 93. *edit. Benedic.*

ſed

ſed nullo habentur in pretio, ni coronentur. Togatum deinceps prodire te poſſe noſcito: & in eorum adſcriptum ordinem, qui primordia Juventutis ſic tranſegerunt, ut ſe ſe Juſtitiæ omnium virtutum principi, à Deo prognatæ parente, numinis adminiſtræ, ordinis matri, regiminiſque præſidi dedicarint. Sacrorum, civiliumque librorum retruſa quæque enodandi, Juris ex lege reddendi tibi facio poteſtatem, quam ſane rem ita Superi probent pijs faventes precibus, & fauſta quęque propitiantes, ut tibi laudi ſit, & Academiæ noſtræ, & municipibus, quos juriſdictione regere poteris, ſemper felix, & fortunata.

## FORMULA TRICESIMA SEXTA

Ejuſdem argumenti,

*Pro Honorato Camerano.*

PLerumque illa homini laudi dari cognovimus, quæ ipſi forte fortunâ conceſſa deeſſent alijs, ingenio, & virtute præſtantioribus; quod quum nonnulli faciunt Oratores, neſciunt non ſe ſe præconijs eos cumulare, de quibus iſta dicuntur, ſed quantumvis nobiles, ac locupletes celebrare viros ob res non prudenter, non fortiter, non in toga, non armis, non privatim munificè, non juſtè publicè geſtas: quæ quum ſint maximæ in illis, quos elatè iſti deſpiciant, in ipſis ne mediocria quidem reperiuntur. Miſera laus illa, quam non ſibi mortales pariunt, ſed ex majorum ſepulcris, vel arca theſauri ſanctio-

re quæritant; hi namque in ſapientium virorum Republica egregiorum facinorum inopiâ dum premuntur, velut oſtiatim emendicare videntur inanem ſanè gloriolam. Quam contemnere fortis, ac ſapientis arbitror, eiſque bene ſemper egiſſe, minimum de ſe loquutos eſſe, duraturam famam conciliaſſe non dubito, quum ex hominibus nullum clara parentum nomina, vel magnæ fortunæ bonum virum, prudentemque fecerint. Ne igitur hodie à nobilitate, divitijs, *Honorate Camerane* vir egregie, laudem expectato, ſed quòd potius in tanta temporum corruptela non deſidiæ vacare, non vitijs, ſed moderationi, doctrinæ, ſeveritati, procul à domeſticis commodis, à parentibus, à conjuge, à liberis, ſtudere conatus ſis, Superiſque volentibus, quod molitus es, quoque perfeceris. Interea togam, pileum, & libros, notas quaſdam ſapientiæ illuſtres & inclytas capito; unde nonnullos æquo cum cæteris jure vivere doceas, illos, inquam, quos viva tuæ vitæ ſapienter, innocenterque traductæ exempla non moveant. Qui tandem ſi gloriam quærant à mortuis, non fumoſum, atque pulvereum à cineribus majorum ſibi nomen trahendum putent, ſed à geſtis illorum, quæ vel bello imitentur, vel pacis artibus vetuſtæ ſapientiæ perfectiſſimum hauriant, in his libris præſertim expreſſum, quod illis veram, perennemque famam conci-

liabit

liabit cum terrarum orbe dumtaxat apud mortales interituram.

## FORMULA TRICESIMA SEPTIMA
### Ejuſdem argumenti,
### *Pro Joſepho Vaſſallo de Vicendet.*

LIbenter id oneris mihi imponi permitto P. C. ut Candidatis in concionem prodituris, ac publicè verba facturis præſto ſim, quaſi vadem apud vos doctrinæ cunctorum, & veſtræ viciſſim erga Juvenes ingenioſos humanitatis, æquitatiſque ſponſorem acturus. Quum enim diligentiſſimos vobis, ac peritiſſimos ſiſtere cuperem, ne mearum fallerem promiſſionum fidem, aut veſtram expectationem eluderem, vix unquam non adſtitere Superi votis; minime namque me præterit, quantum verſati fuerint in melioribus diſciplinis, quos, me ſuaſore, bonis avibus ab honores eveximus. Quorum in ordinem optimo planè conſilio *Joſephum* hodie referimus, cui ſuffragijs veſtris, ſuâque ſibi jam virtute quæſita, hæc ornamenta concedimus. Tibi propterea togam adoleſcens habeto, eâque indutum, & pileo, ut è numero ſtudioſorum te veſtis, & infulæ ſegregant, ita virtus, atque doctrina inter ſocios te tuos præſtantem, nobilemque faciant. Aſt ne deſit labori ſeges, & occaſio virtuti; voluminibus iſtis utitor, in quæ tota veterum ſapientum prudentia redundavit. Hæc ſunt, quæ Juvenilibus annis promeritus es: hęc iti-

itidem ſunt, ex quibus lauream illam, ad quam omnes bonorum, ac tui diriguntur affectus, & poſſis, & ſimul debeas expectare.

## FORMULA TRICESIMA OCTAVA
### Ejuſdem argumenti,
### *Pro Petro Joſepho Serotto.*

SPectator tunè tantum *Petre Joſeph?* alienarum laudum tantum auditor? Quid profuerit, privatim demonſtrata virtus, niſi palam laudibus afficiatur, & præmijs? Hæc præſto ſunt, ac talia, quę adhuc militi animū addant, nondum laurum adepto. Inſigne tibi erit emeritæ toga militiæ, cujus munera in præfecturis geres, & commoda ſenties, Prolytis, ideſt honoris cauſsâ miſſis à Principe deſtinata. Eat bellator ad ſaga: tu illam gere, cui cedunt arma, & ad quam fruſtra miles adſpirat, quę pacis eſt ſignum, & otij litterariæ libertatis ornatus, cui pileum additum coronidem addit. At quorſum libri juris, niſi ut laborem doctrinæ conjungas? non iners otium, non obſcura quies, ac ſegnis tibi promittitur: at clara, at negotioſa, at Republicâ digna. Interim ire licet, commeatum do, miſſionis addo honorarios codicillos; licet quoque volenti in ſchola verſari, & quaſi veterano ſtipendia facere. Modiciſne contentus eris, an majoribus inhiabis? Agnoſco quid capax polliceatur ingenium: conijcio quid meditere? Quę pulchra, difficilia;

nulla

nulla celſa virtus magno ſine ſudore, nulla ſumma præmia ſine virtute; at laborum ſunt hęc volumina incentivum ſimul, & pretium; minorum curarum præmia, & irritamenta majorum. Quid ambigis? ne ſtudijs primo quoque tempore deeſſe velis edico; ne laurea tibi ſollerti, doctoque deſit. Quorum alterum in hac rerum conditione deſidioſi; alterum, quod à tua indole alienum puto, Juvenis eſſet inglorij.

## FORMULA UNDEQUADRAGESIMA

Ejuſdem argumenti,

*Pro Johanne Dominico Mainardo.*

SI toga, quę deinceps tuis pendebit ex humeris, ſi libri, qui ſubijcientur jugiter oculis, tegumentum denique, quod caput ornabit, illi hodie accedit honori, quem aurea crux exhibet dependens à latere, quid aliud ad dignitatem attinens magis optaveris? At cunctis tibi potito ne id deſit, oportet, quo Prolytarum illa ornamenta ne alteri quidem cedant. Iſtam tamquam inclytum, & excelſum inſigne ſibi fortes, ac nobiles: illa clari, & docti viri ſibi ſumpſere. Utra alteris præſtent, ambigitur. An tu poſtponas forti prudentem, militi doctum gladio calamum, robori ſcientiam? Utrique ſervis? Cave ne juriſprudentiæ deficias, ſi curas ne muneri deſis. Magnum quidem pectoris hoc ornamentum, magnum & capitis. Si munus, quod ſuſcepiſti, ideo perficere coneris,

quod

quod honori hoc tibi ſit, doctrinam ne neglexeris, id enim eſt gloriæ. Imò & huic potius te ſervire fas eſt, quia fructus ex ſcientia diuturnior; et ſi licet quoquo modo diſſerere, quòd iſta tegitur, foveturque capite, robur manu exercetur, & clauditur pectore; magnum ſane portentum eſt, ſubijci pectori caput.

FORMULA QUADRAGESIMA
Ejuſdem argumenti,
*Pro Vito Modeſto Gerbaldo.*

VIX recte coniecerim, an majori deſiderio, *Vite Modeſte Gerbalde*, hanc togam libros, & pileum, quæ tu recipis, exoptaris, an potiori jure miſſionis honos tibi verè modeſto Juveni deberetur. Doctrinam tuam hodie ex hoc loco pœne loquentem audiebamus: & deſiderium nunc quoque videmus, quaſi proſpectans ex oculis: ſatis utrique pro merito fecimus. Sic autem doctrina deſiderium ſemper exacuat, ac majorum rerum deſiderium doctrinæ miniſtret, ut gliſcat utrumque, donec perfectam ſapientiam conſequaris. Sic enim futurum eſt, ut ſumma, quæ flagitas, aſſequare. Nequicquam ſine labore, præmiorum cupiditas animum tenet.

FORMULA QUADRAGESIMA PRIMA
Ejuſdem argumenti,
*Pro Veſpaſiano Deblandrate.*

QUid tibi, Adoleſcens, cum hac toga viſili

rili, cum præmijs hiſce Academicis? Quid cum hoc pileo virorum integumento, cum libris ſeniorum ingeniorum oraculis? Imo quid mihi cum hac, qua utor, oratione? Tu adoleſcentulus, at ingenioſus: vix pubes, at doctus: vix Candidatus, & tamen omnium ſuffragiis, & laudibus exornatus. Prævertit ætatem matura prudentia, judicij maturitas adoleſcentiam, Nervæ Filij Juventuti ſimillimam. Togâ per me utaris licet, ut ea velut ex ephebis excedens, publicè poſſis in hoc loqui conſeſſu virorum, & munera capere Prolytis obeunda. Pileo, ac libris potitor illis, vix concedendis ætati muneribus, at debitis maturæ doctrinæ. Miraculum, tantulo in corpore tantam potuiſſe reperiri virtutem!

## FORMULA QUADRAGES. SECUNDA

Ejuſdem argumenti,

*Pro Joſepho Franciſco Marchione Morotio de Bianzeto.*

SI, quæ hic propoſita ſunt, honeſtæ miſſionis inſignia, ulli jure data ſunt, nunc profecto, *Joſeph Franciſce Moroti* inclyte Marchio, tibi merito decreta fuere. Ecquis enim te dotibus omnibus clarior? Nihil erat, ſi antiquiſſima nobilitate, lectiſſimiſque moribus, ſi mentis magnitudine, ſi prudentia in Juvenilibus annis virili florebas: niſi eloquentiæ, phyſiologiæ, & ſacræ hiſtoriæ diſciplinâ præſtares. Omnia dixi, quum hæc di-

dixerim; imò parum. Multa hæc ſunt: ſed hæc multa non uni ſufficiunt. Addam ergo, niſi & rerum humanarum, divinarumque notitiâ habereris inſignis. Sic igitur eloquens, ut dignus ſis, qui ab eloquentiſſimis lauderis; doctus, ut à doctis magni tua æſtimetur virtus; prudens ita, ut dignus videaris, qui, vel Auguſti, vel Alexandri tempore naſcereris. Fallor; imò, ut hoc tempore naſcereris; an ne glorioſius quidem eſt eo ſæculo naſci, quo doctrinam imiteris plurium ubique florentem: an verò naſcentibus doctrinis adjumento eſſe, præſidioque? Multa loquens complura reticeo; ſed hęc aliquando. Nunc accipe pileum illuſtrium tuorum geſtorum præmium non ſane maximum; quis enim neſcit tibi potiora deberi? Togam induito Prętextæ prænunciam. Utramvis opta vel Magiſtratibus, vel Sacerdotibus debitam. Minus ſperare mihi religio. Libros ſumito, te dignum munus, ſive cauſſam reſpicis, ſive auctores. Hęc ſudata ſunt ſtudia nobiliſſimorum Romani Imperij ingeniorum; tui ergo ſimilium. In illis tu doctrinam non diſce, ſed perfice. Hęc terrarum Orbem ad humanitatem redegit, ſapientia; digna igitur, quibus continetur, ut hodie tibi tanquam præmium repręſententur. Sic æternæ tuorum ſtudiorum famæ conſulimus, ſic Juveni nobiliſſimo, bonorum amico, doctrinarum cupido, omnibus demum orna-

mentis

m entis prædito, ob ſtrenuam in confutandis adverſariis collatam operam, Academia vicem reddit.

FORMULA QUADRAGESIMA TERTIA

Ejuſdem argumenti.

*Pro Ludovico Hieronymo Malabayla Canalium Comite.*

MIhi ne laborandum, ut de *Ludovico Hieronymo Canalium* inclyto *Comite* digna loquar? Id ſuffecerit unum, ſi cum Juvenale dixerim; hic eſt .......... *pulcher, & acer*

*Felix & ſapiens, & nobilis, & generoſus.*

Brevius? Hic laudati Prolytæ, quem hodie coram adduximus, & amicus, & ſimilis. Dies eſt igitur Academiæ læta veluti duplici triumpho. Priſca nobilitas præ doctrina minus pœne dixerim clara ſplendeſcit. Excelſa nempe doctrina, puriſque ex Philoſophiæ fontibus repetita, verbis ornata, eruditione condita, denique nobilis. Plebeia eſt illa ſcientia, quæ alio incedit ornatu. Apage tetricam, ſordidamque diſciplinam; apage rigidam, & vere cynicam ſapientiam; hîc virtus, ſed lauta, ſed feſtiva, ſed ridentibus comitata veneribus, qualis Cæſarem decuit, vel Ciceronem. Vos hoc melius cognoviſtis, quos in Academiam deblaterantes ſalibus iſte perfricuit. Indoluiſtis: at iraſci non dabatur, vera nãque ridendo, dicebat. Ob eam tamen, quam in te laudat rerum humanarum, divinarumque notitiam, pileo inſignitũ te vult Academia, neq; hoc ſolum

lum contentus eſto; maiora namque jam parat. Toga, qua indutus inde diſcedes, ampliſſimis honoribus maturum te eſſe prænunciat. Libri civilis, & ſacri juris te Juriſprudentiæ Romanæ verè Candidatum, verè Prolytam eſſe declarant, ideſt, mente, & virtute Romanum, Catonum, Sulpitiorum imitatorem, conſilio prudentium, nobiliumque ſanguine. Similes illis habitura eſt Academia, ſi tu idem ſemper eris, & alii genere clari ſimiles tibi. Tunc omnia florebunt, ubi nobiles docti fuerint; quantum enim nobilitati de ſtudiis accedet, tantum Academiæ accreſcet & ornamenti. Debellatum cum omnibus hoſtibus eſt, ſi plures tibi pares noſtri fiant. Quod ſperamus, ſi in id incumbas. Enitere, & omnia benè evenient, feliciterque. Eam namque obſtrinxeris Academiam, quæ de optimè factis tunc ſilebit, quum æterna ſui monimenta, quum ſcripta, voceſque eruditæ, quum ſervatrices immortalium facinorum litteræ conticeſcent.

FORMULA QUADRAGESIM. QUARTA

Ejuſdem argumenti,

*Pro Dominico Maria a Turri.*

QUæ Collegii mandato tibi tribuimus honeſtæ miſſionis ſigna, & tuum ſtudium, atque ſollertiam, & tuum debitum jugiter in animum revocabunt. Quomodo namque labor mercede donetur, hoc pileum, hæc toga humeris ſuſpenſa tuis ubique præ-

ſeferent : quid Reipublicæ debeas, libri indicabunt juſti, & æqui clariſſima monimenta. Idcirco fruere quæ accepiſti, eorum non oblitus, quę tu debeas. Fac quod debes, & dabimus ; fac doctrinæ tuæ majora pericula, maiora dabimus præmia. Gloria virtute, fama doctrinæ ſpecimine conciliatur. Si vis, tibi quod deeſt conſequi, facile fuerit ; facilis volenti labor, & ſtudium. Vis famæ, vis gloriæ ſervire? labora, & ſtude; vis honoribus, vis dignitatibus? ſtude, & labora.

## FORMULA QUADRAGESIMA QUINTA.

### Ejuſdem argumenti.

*Pro Joſepho Secundo Carretta.*

FOrtunatius nihil, feliciuſque anni naſcentis initio tibi, *Joſeph Secunde Carretta*, contingere potuit, quam Academicarum auctus dignitatum. Si extremum initio reſpondet, nihil eſt, quod timeas: omnia fauſta ſunt eventura. Nihil tamen deerit, ubi prudentia ſemper adfuerit comitata doctrinâ. Et prudentiæ, & doctrinæ inſigne deferimus; pileum videlicet honori dicatum, & litteris. Toga Romanorum eſt; ei qui Romanæ ſapientiæ ſeſe totum addixit, quid magis conveniat, quam Romanorum inſigne? libri monumenta doctrinæ, iidem effecta doctrinæ, antea laboris cauſſæ, nunc laborum ſolatia, & notæ virtutis. Hic ne tuæ laudes finem accipiant: quamquam ego non ultra progredior. Sic

creſ-

creſcant tuæ dignitates, ut huic anno innumeri ſuccedent, tibi patrique Juriſconſultiſſimo viro felices extituri, ſi multos ab ipſo initio nova aliqua dignitate diſtinguas. Nec enim magis auſpicato incipere poteris, plurimos annos, quos tibi, tuiſque, toto ſuffragante Collegio, felices auguror, precorque.

## FORMULA QUADRAGESIMA SEXTA

Ejuſdem argumenti,

*Pro Petro Franciſco Paſſera.*

CIvili, ſacræque Juſtitiæ Myſtam initiamus, Patres, animo, & linguâ favete. Sacramento te huic addictum, primum id ſervare conveniet, quo ſancta colantur Jura, colantur leges. Quod ut præſtes, tu probè caveto, ne quid ob aliquem conſulas, ſtatuas, quod tibi, ſi ius reddatur, arbitreris iniquum arbitreris injuriũ. Tum quid publica ſalus requirat, decernas, edicas: non quid privatorum ac tua. Hæc ſumma, hæc infima rectiſſimè lex una diſponit. Huc omnia his comprehenſa codicibus, ſive Pontificum, ſive Principum, ſive Romanarum legum Interpretum, referuntur inventa. Aurea quidem inventa, & primum ab ipſo deducta ſacrario, Imperatorum, ac prudentum auctoritate lata, Pontificum ſapientiâ caſtigata, præſentis Numinis in terram è Cœlo delapſi, partim permiſſa, partim (quæ redemptorum ſors fuit beata mortalium] vocibus imperata. Tu illarum Cuſtos, tu illarum interpres, hos libros apud te ceu depoſitos habe: tibi datos,

ut enodentur, interpretare: præſcripta tu ſerva, nec non præſcribe reliquis, uti ſerventur. Velatum caput non filo, quod Flamines profano ritu geſtabant, ſed pileo te habere maximè decet, ornatui quod poſſit eſſe, ſed ſpecioſo, ſed conſecrato Muſis, & Themidi. Puram togam humeris, brachiiſque ſuſpendis: puræ veſtes puro conveniunt, non vivo flumine puro, ſed mente, ſed manibus. Non in cædem iniquam, non in turpem rapinam extendantur manus, ſemper impollutæ, ſemper innocuæ, puriorique cônſcientiæ miniſtræ ſimul, & indices. J, per nos licet, Prolyta, ſed memor, & cautus parce verbis inanibus, nec enim præſtabit accepta vulgaſſe, niſi vel conſulendo juveris, vel judicando profeceris.

FORMULA QUADRAGESIM. SEPTIMA
Ejuſdem argumenti,
*Pro Joſepho Franciſco Comite Capra ab Azano Archigymnaſij Rectore.*

SI te, clariſſime Rector, hodie debeam inſignibus honeſtare miſſionis honeſtæ, vel nova quærenda ſunt, & hactenus inuſitata, vel nihil agendum. Quid enim tribuerim adoleſcenti, quem omnibus illis in hac ipſa concione amictum intuear? Togatone toga pro præmio concedenda, pileumne pileato? tibi nempe pileum, togamque dederim, quam Auguſti Regis, qui te ad hoc munus allegit, pene dixerim manu ſuſceperis! At pileum,

to-

togamque ſuſcipies, quam induiſti. Non hæc tibi quondam data, ſed dignitati: & ſi tibi ob hanc dignitatem; nunc vero tibi, nunc propter te hæc ipſa decernimus. Laudabile quidem fuerit lectiſſimæ Juventutis ſic tibi conciliaſſe ſtudia, ut te Rectorem legerint inter plurimos: grande fuerit Principis voce fuiſſe renunciatum; majus ſemper erit Academiæ promeritum hæc eſſe ſuffragia. Quod namq; Magiſtratum te Princeps creavit, multitudinis id votis indulſit, quibus nihil incertius; quod Academia te Prolytam deſignandum cenſuit, id paucorum ſententiâ fecit, qua nihil prudentius, graviuſque. Eſt itaque magis illud fortunæ, quæ ſi providè agere voluit, neminem præter te legere debuit: ſunt iſta præmia virtutis; illud annali ſpatio duraturum munus: iſta perpetua; illud Academiæ parietibus, vel urbis tantummodo continentibus ædificiis terminatum: hæc dumtaxat illis deponenda locis, ac regionibus, ex quibus litteræ, leges, humanitas exceſſerint, eruperint, effugerint exulatum. Quod igitur anni ſpatio pileum gerere, togamque debebas induere, perpetuum gere: ſemper induito; diuturniora quam cætera, debent eſſe, quæ doctrina quæſivit. Addimus & iſtis præfecturas petendi, certiſque in locis de jure reſpondendi facultatem, quam hæc ſignant aperta civilis juris, ſacrique volumina. Hæc munera ſunt viris, doctiſque digniſſima, in

his non ſuffragia Juventutis Princeps inſpectat, ſed uniuſcujuſque ſtudium, & virtutem, cujus hæc ſunt in Academia noſtra ſigna raro fallacia. Habebas, Rector illuſtris, quo lætareris, ſi te Princeps elegerat, repulſis in petitione competitoribus; ſed nunc tua gaudia ſunt potiora, quod te inter tot ſtudioſos ſordidæ repulſę neſcia doctrina diſtinxerit. Sic tibi non uno nomine gratulamur *Rector ampliſſime*, quòd in tanta nobilitate natalium, quòd in tanta muneris dignitate non ipſe conquieſcas, ſed addens laudi laudem, honorem honori potiſſimam tuam, perpetuamque gloriam a ſola virtute requiras.

## FORMULA QUADRAGESIM. OCTAVA

Ejuſdem argumenti,

*Pro Joſepho Ignatio Corte.*

DIcere quid debeo de te *Joſeph Ignati*? Laudabo Poëtarum more florem adoleſcentiæ vix erumpentem, formam corpuſculi non indecoram, animulamque candidam innocentiſſimarum virtutum, morumque nutriculam? Non hæc loci hujus, ac temporis. Commendandum potius in parva ſtatura, membriſque teneris, magnum ac firmum ingenium. Procul hinc eſte, provecta ætate, ſed nulla virtute, robuſtique Juvenes, ſed indocti. Date locum adoleſcentulo illis inſignibus digno, quæ conſequi nullo jure poteſtis. At tu *Joſephe* pileum dignitatis accipe, quod nunquam nihili quædam, & vaniſſima capita geſſe-

geſſerint. Libros tenellis fere manibus aleas tractare neſciis, ludis ſordeſcere non aſſuetis. Togam ante viriles annos induito, hęc præcocis in adoleſcente judicii ſignum, & pręmium. Rarum videtis P. C. virtutis exemplum! Adoleſcentulum eorum honorum dignum, eorumque capacem, quos plurimi provectæ ætatis homines fruſtra requirant.

## FORMULA UNDEQUINQUAGESIMA
Ejuſdem argumenti,

*Pro Alexandro Rugerio.*

POſtrema die, Candidato non ultimo quidem hæc non ſuprema deferamus inſignia. Aliis alia præcurrunt: præſtantioribus inferiora. Ut cuncta teneas, habeas, poſſideaſque, cœpiſſe, ac laboraſſe non juvat; perficere cœpta neceſſum eſt. Laborato, & inchoata perficito; præmia ampliſſima te præſtolantur. Hęc tamen inſignia miſſionis honeſtæ ſint tibi ad labores illecebræ, & incitabula. Tibi nempe pileum do, togam quoque, & libros impertior: ideſt præmia digna, ubi perfecta fuerint, *Alexandro*. Mentior? illo, inquam, quæ concędantur ab Alexandro, cui ſeveritas non magis, quam ſapientium perpetuus comitatus æternum peperit nomen. Quid enim aliud, quam de jure reſpondendi facultatem peritis concederet Alexander? Quid aliud expetis Alexander? Severi tempore digna gere; non enim defutura eſt reſpon-

dendi poteſtas. Quæres adhuc, ubi hanc acceperis, Alexandrum? En aderit, ſed re *Victor*, & nomine; hic gloriâ, hic ſapientiâ Macedone, Romanoque præſtantior eſt Alexandro.

## FORMULA QUINQUAGESIMA
### Ejuſdem argumenti,
### *Pro Victorio Amedeo Pelliono.*

Tertium P. C. coram adduximus eodem è genere Candidatum, duobus ætate minorem, non ingenio, non probitate. Bene Reipublicæ conſultum erit ſi, prout domus una regno tria doctrinæ pignora dedit, reliquæ tantum ſingula dederint. Felicem parentem talibus liberis dicere non dubitarim, quos una laudis cupido ſtimulat, una virtus impellit. Vidit Catonum, & Scævolarum familia Juriſconſultos, & Fratres aut lege conjunctos, aut ſanguine, ſed utraque duos: vidit Ælia gens eodem parente genitos duos Juriſconſultos, & Conſules: Nemo fortaſſis eadem ex domo vidit formari Collegium poſſe Juriſprudentium, & germanorum. Rara parentibus, & inuſitata trium adeo ſapientium natorum jura. Non ergo negandum huic fuerat, quod primi tulere: nec debuit togatos fratres virtutis eorum æmulus togâ nudatus aſpicere. At illi vel tribunali, vel roſtris addicti, vel judicent, vel Clientibus adſint: Sacra hic munera non ineunda cæteris unus ineat: geratque pileum ca-

capite, manibus codices: qui futurus eſt apice dignus, & lituo. Sic vivant concordes fratres, ſic doctrinam colant, & augeant, ut eorum parenti id accidat in vita, quod Metello Macedonico contigit; quemadmodum enim hic tribus ex filijs Cenſorium unum, duos Triumphales vidit, Conſules omnes; ſic ille, quem unum hodie Prolytam inauguramus, Sacerdotij ſplendore conſpicuum: duos Magiſtratu præſtantes: omnes Juriſconſultos honore, nomine, famâ præclaros intueatur.

## FORMULA QUINQUAGESIMA PRIMA
### Miſſionis honeſtæ,
*Quam ſpecialem appellant.*

EN, Candidate ſpectatiſſime, præmia, quæ ingentia, nec alijs tentata pepererc certamina. Magis quam cæteri deſudaſti, non pluſquam cæteri nactus es: imò minus quoque, ſi rectè reſpexeris. Toga, pileum, codices ſunt omnibus, qui è portu ſolvere meditantur, promiſcuæ ſymbola dignitatis. Sed tu, quod illis datur, tenes, at non quantum eis conceditur [ poſt hos tuæ varios fortunæ caſus ] fortaſſis habueris. Hæc accepiſſe reliquis ſemper honori, tibi quoque dedecori poterunt eſſe. In lubrico verſaris, ac præcipiti loco. Si tamen cuncta, quæ reſtant, abſolveris, tantum tu ab illis, quantum illi à vulgo, diſtabis. At ſi, quod abominor, contra evenerit, ſummi labores in-

caſſum

caſſum cecidere, multo minus meruere, quam quod omnes. Qui in hoſtes dejecta ſigna ſequentes hæc ab humo extulerunt, non adhuc de Republica benemeriti poſſunt haberi, niſi in vallum, illis incolumibus, rediere ſoſpites. Jactam ludis aleam, ſed non arbitrio fortunæ. Virtuti ſervis, virtuti fidendum; ab hac una ſalus, & gloria. Hæc Herculi viam patefecit ad inferos, hæc ab inferis ad Aſtra perduxit: hæc Theſeum inextricabili à labyrintho, Minotaurique faucibus liberavit. An putas hæc alia de cauſſa confícta, quàm, ut bonorum, ac magnorum Virorum, inter quos cenſeri debebis, varij vitæ ſignificentur eventus? Longa quidem, & anguſta remanet via: at de cætera judicare à decurſæ periculo datur; ſalvus huc evaſiſti, ideſt dimidium jam percurriſti cum laude ſtadium; quidni, virtute duce, reliquum fortunatè conficias? Macte animo, macte doctrina. Magnis periculis, magni triumphi comites, & omnium triumphorum laude potior virtutis fama, ſcientiæ nomen. Optimè tum labores impendiſſe tibi ipſe videberc, quum omnes pertuleris. Sed quem animum, quod hortor ingenium? Si tibi ad hæc aggredi liberum, perſequi neceſſarium: cœpiſſe magni fuit animi, proſequi glorioſi: rem non abſolviſſe deſidis, imprudentis, ignavi; vel non cœpiſſe debebas, vel cœpta ſequere, & vince.

# FORMULA QUINQUAGES. SECUNDA

*Laureæ, quam ſpecialem dicunt.*

CIrcum hujus tempora viri ite triumphales lauri; nec enim rectius aliud eximio Prolytæ dederim. Inclyta tamen, & immortalis laurea debetur tantæ virtuti. An fortis Athleta, ſtrenuuſque pugil: an agitator in circo ſedulus, & quotquot ſacris in ludicris decertantes Græco, Romanoque populo placuerunt, potiore jure meruere præconia, præmia retulere? An triumphator unquam reportavit juſtiore de cauſſa coronam? Non equidem alacer, tu ſtudioſorum optime, de trucidatis hominibus, deque afflicto humano genere triumphares. Nec ob gentibus clades illatas, abactas prædas, irrogatas injurias, nullo diſcrimine ſexus, ætatis, incendijs calens, & ſanguine, inter catenatos ſenum, puerorum, mulierumque greges, inter direpta ſpolia captarum Urbium, & everſarum, Capitolium ſuperbus inires, lætum agitans diem, quem funeſtum tot miſerorum, non immemori conditionis humanæ gemitus, atque ſuſpiria facerent. Sic ille cruentis manibus, cruentis hoſtijs, facto ſui & exercitus ſpectaculo, poſt data flebiliter laſcivienti multitudini à victis, vinctiſque ludibria, pollutas aras, & altaria cruentabat. Nonne decentius ſacra laurus viri à cædibus puri, ac docti caput ornaret? Aſt tu nemini noxius plurimos effudiſti ſudores, melior ut

eſſes

eſſes, & doctior: nulli inimicus, niſi ſocordiæ: ſemper induſtrius, ſed hominibus uti proficeres. Ergo pileum quaſi lauream habendam, geſtandamque perpetuò, juſtius quàm quiſque gentium domitor accipis, juſtius quàm triumphator. Non igitur palmatam, & pictam huic togæ rectè contulerim. Non Scipiones his monimentis ſapientiæ: non currus, & ſellas huic ſolio meritò comparaverim. Ut hoc jure conſcendere queas, ſummarum poteſtatum auſpicijs, auctoritate (quibus ſtat, & ſtetit Academia) te doctorem, Juriſque conſultum in Collegium hocce conſcriptum nomino, dico, creo: quod æquum, ac juſtum fuerit hinc à te Juventus accipiat, conſultor intelligat. Hoc modo tanquam legum, ac juris antiſtiti volumina damus, non ut inde diſcas, at doceas. Ex illo deductum te oſculo proſequor, inque Patrum gradibus colloco, quo datum eis Collegam te videas, quos hactenus Magiſtros habueras, & Cenſores. In poſterum de ſtudioſis æquiſſimè judica, quemadmodum de te ſemper optimè eſt judicatum: tu illorum expende doctrinam, cujus ſepties examinata doctrina, ſeptimò promeruit approbationem, privatim honorificam, publicè ſplendidam, ampliſſimamque; Annulum duplici quoque jure geſtabis, & quod ſignandis præſertim de jure reſponſis Juriſconſultis eum licet habere, & quod in hoc

ad-

adlecto Collegium nihil magis convenire videtur, quam quod Senatorum eſt ſignum. Nos quoad licuit, nec ſapientiæ tuæ, nec muneri noſtro defuimus: cætera Superi curent, fortunent, ac proſperent. Vos propterea Divi, Divæque omnes ſupplicibus favete precibus. Tu Virgo Dei Genitrix, tu Numen propitium votis adeſte. Vos Collegam noſtrum ſublimi donatum ingenio, ſingulari ſcientia locupletaſtis: vos ei tam longum, imperviumque conficienti curriculum magnis in periculis, ſummoque in diſcrimine volentes tuliſtis opem. Cui clementer annuiſtis, juvate, defendite: ut ſic Reipublicæ ſine noxa, & nota miniſtret; ſic gerat honores, munera, Sacerdotia, quemadmodum hactenus repulſæ vacuus, inoffenſo pede, bono publico, ſumma virtutis, & ſapientiæ opinione, longèque majori, quàm cæteri famâ, gloriâ ad omnes [ qui veſtro beneficio doctiſſimis, peritiſſimis, optimis, parati, promiſſi ſunt ] gradus, & dignitates adſcendit.

## FORMULA QUINQUAGES. TERTIA
## Codicillorum miſſionis honeſtæ,

*Litteras patentes* appellant,

*Impetrati gradus vel Civilis, vel Theologici.*

HUmani generis intereſt non modo vivere (1) ſub legibus homines, ſed & legum

(1) *Si de Theologia loquimur, addi poteſt:* Divinis.

gum exercitores ſacrorum, (2) & Civilium inſtitutorum longe conſultiſſimos eſſe, ut beata mortalium vita, quæ ſine æqui, & boni conſtitutione nulla eſt, ſemper æquabilis, & adverſis intacta [3] Præſidum vigilantiâ, & curâ perennet. Nec porro bene de Republica mereri videtur, qui ſanctiſſimam rem (4) Juriſprudentiam contemnens, ac negligens, Magiſtratus, ac poteſtates gerere velit, & tractare (6) provinciarum frena non dubitet, juſti, injuſtique peræque rudis, & neſcius. Contra è re communi majores noſtros feciſſe dicendum eſt, qui nulli [7] Juris dicundi poteſtatem dedere niſi ſtudijs legitimo tempore peractis, ac teſtimonijs impetratis operæ non perperam in illis collocatæ; quorum præcepta ſi Poſteri tenuiſſent, non promiſcuo Gymnaſiorum fato, re perdita, & profligatis optimis moribus, nomina dumtaxat ſignificationis expertia coluiſſent, ac ludicros, pudendoſque ritus in lucem prolatos otioſis, ac irridentibus obtuliſſent. Qua flamma, ac peſtilentia, ſi bona quondam ſtudia contabuere, Juriſprudentia (9) ſorduit eloquentibus, & eruditis, Acade-

miæ

[2) *Prætermitte* Civilium. (3) *Adde* Chriſtiani Cultus; *vel loco* Præſidum *ſcribe* Antiſtitum, *vel* Sacerdotum. (4) *dic.* Theologiam. (6) Eccleſiæ gubernacula minime. (7) *Dic.* ſacra docendi. [9] *Theologia.*

miæ ludibrio haberi cœptæ ſunt; deſidia, & quæſtu ingruentibus, neceſſe fuerat Principem naſci, qui pro virili opem labentibus artibus, afflante Numine, ferre vellet, ne (eo deinceps Auctore) ſplendida quondam, & vere ſtudioſis debita præmia ignaris, ignaviſque venum, ac peſſum dari contingeret.

Id ſane præconium *Victori Amedeo Regi* diſciplinarum nutrix Italia rectè tribuerit, qui latis legibus, reſtitutis honoribus, inſtauratâ penitus Academiâ, doctrinarum omnium, & cùm primis (10) Juriſprudentiæ decori conſuluit, virtutemque Juvenum excitare, fovere, amplificare ſe dignum, ideſt, magnanimo Principe cenſuit. Cujus exemplo moti, & auſpicijs ejus cuncta gerentes, de doctrina *Antonij Ferrerij* Artium Magiſtri, Juriſprudentiæ [a] Candidati, ac poſtremo miſſionem honeſtam adepti, hoc teſtimonium noſtrum, ac Virorum illuſtrium perpetuis, & publicis demandatum litteris ultrò perhibere non dubitavimus.

Quum V. C. Anteceſſore Regio in Collegium Juriſconſultorum adlecto verba faciente de tribuendo *Antonio Ferrerio* Jure miſſionis honeſtæ, quam *licentiam* majores vocavere, diremtis ſuffragijs Patres cenſuerint, haud indignum Candidatum videri, qui beneficijs, inſignibus, privilegijs perfrueretur honoris cauſsâ miſſorum à ſtudijs, placuit *An-*

(10) *Dic.* Theologiæ. [a] *Dic.* Theologiæ.

*Antonium Ferrerium* ingenuarum Artium Magiſtrum, Juriſprudentiæ Candidatum à ſtudijs (1) Divinarum, humanarumque legum honoris ergo dimitti, eique miſſionis ſigna concedi: rectè, ordine, exque re litteraria facturum fuiſſe V. C. Anteceſſorem, ſi Collegij nomine, luculentiſque verbis eadem ex formula daret. Meruit enim ſollertiſſimi Prolytæ virtus, ut Academia, quoad ejus fieri potuit, illius deſiderijs obſecundaret; quod poſt tranſactum in (2] ſacra, & civili Juriſprudentia triennium privatim interrogantibus tribus Anteceſſoribus, ac duobus è Patribus doctrinæ ſudore quæſitæ fidem fecerit, idque publicis litteris conſignata eorum, qui judicando adfuere, ſuffragia demonſtrent, Magiſtratus Academici decreto probata. Ob quod periculum publica diſputatione naviter inſtauratum jure placuit, univerſa miſſionis honeſtæ jura *Antonio Ferrerio* Prolytæ creato competere, quæ Pontificum, quæ Principum legibus, quæ majorum moribus cum honore miſſis à ſtudijs ubique Terrarum conceſſa, comparata eſſent, erunt: eaque Pontificiâ, Imperatoriâ, Regiâ poteſtate, optimâ lege dari, quaſi ejus dumtaxat cauſsâ data, parata forent.

At ne civilis opera præſtantiſſimi Prolytæ huic Regno ſubjectis inutilis videretur, id

(1) *Dic.* Philoſophiæ, & Theologiæ.
(2) *Dic.* Divinis litteris.

id quoque placuit *Antonium Ferrerium* in ditionis ejuſdem præfecturis, municipijſve, præterquam ubi Judex vice ſacra, Præſes Provinciæ, aliuſque beneficio Principis lectus Juriſdictioni praeſſe ſolet, jus dicere, judicare, cauſſas orare, de jure reſpondere (3) aliaque facere poſſe, quæ Prolytis agere legibus, moribuſque fas eſt, erit.

Quod judicium noſtrum, & ampliſſimum ordinis univerſi conſilium non modò in Academiæ tabularijs aſſervari, minori dignitatum laterculo conſignatum, verum etiam ad optimi Prolytæ perennem laudem, poſt adepta miſſionis inſignia, munera, jura, bene juvantibus Superis, edi voluimus, ejuſque ex fide deſcripti diu permanſurum exemplum, & illuſtre concedi.

## FORMULA QUINQUAGES. QUARTA
### Ejuſdem Argumenti,
### *Pro Medicinæ Prolytis.*

SAlubrem humanis corporibus Medicinam quum in pretio haberi ab hominibus, tum ab ijs tractari convenit, qui diu meditando, & agendo, inſignem vitæ partem, juventutem in diligenter explorandis cauſſis, effectiſque naturæ penè conſumſerint. Res namque exempli non boni fuerit artem Civibus utilem, vulgò, & ſine diſcrimine



(3) *Hoc totum in Theologia omittitur, quippe de qua Regis Conſtitutio intelligi minime poſſit. Sequens tamen §. apponitur.*

profiteri nonnullos, qui ex neceſſitudine quæſtum, ex imperitia nomen, ex fallacijs, & quaſi præſtigijs vulgarem captantes auram multis mortalium vel parant, vel maturant exitium. Quod quantum optimi regiminis legibus adverſetur, omnes videre populi, quotquot conſtituerunt, ne cui liceret medicinam injuſſu Principum exercere, dato Virorum doctorum univerſitati negotio, nequid ex violata harum ſanctionum reverentia populus detrimenti caperet.

Ea ſanctius inſtituta Taurinenſis Academia ſervat, quippe quæ plurium annorum ſpatio Candidatorum diligentiam, peritiamque ponderat, approbat, exigit: ac per varios honorum gradus ex intervallo datos, quantum maximè poteſt, ad perfectam doctrinam perducere conatur. Per triennij porro curriculum in Athenæo exercitos, haud ita dimittit, ut amandet in majores Urbes, nihil adhuc præclarum aggreſſos, necdum tradita uſui aptandi peritos; ſed faciliore mandatâ Provinciâ, ad municipia, & præfecturas allegat, non laureâ donatos, at honoris cauſsâ miſſos à ſtudijs; ſic omnia diſponens, ac temperans, ut nequis ſtudioſus, haud tranſitis medijs, ad extrema properaſſe velit. Haud tamen minus eorum famæ, gloriæque favet; nam quantum falſæ laudi detrahit, tantum addit veris honoribus non oblita laborum, & pro meritorum modo præmia diſpenſans.

Sic

Sic igitur certa de ſcientia *Joſephi Antonij Boleoni* Artium Magiſtri, & Medicinæ Candidati, quod *Raphaële Boleono Fratre* Regij Archigymnaſij Profeſſore C. V. rogante, univerſis placuerit *Joſephum Antonium Boleonum* miſſione honeſtandum, ejuſque dignitatis ornamentis augendum, Candidati juſtis precibus annuit. Quamobrem de conſilij ſententia decrevimus,

Uti *Joſephus Antonius Boleonus* Magiſter Artium, Medicinæ Candidatus à Phyſiologiæ ſtudijs, honoris, & laudis ergo miſſus eſſet, ejuſque rei cauſsâ miſſorum à ſtudijs, beneficijs, immunitatibus, juribus frueretur; eaque propter Latinorum amictu in conventibus litterariis, & quando ſua videretur intereſſe, poſſet incedere; quæ Prolytarum ſigna *Raphael Stephanus Boleonus* Profeſſor V. C. egregiâ, brevique oratione pro concione, mandato, viceque Collegij tribueret. Quamvis enim peregrina Medicina ſit, & in regionibus nec nata, nec alta Romanis, merita civitatem eſt, & honores aſſequuta ſimiles æmulam gerit Italæ Juriſprudentiæ. Cujus exemplo quæcumque reſcriptis, edictis, conſuetudine, Medicinæ Prolytis attributa, quæſita forent, quà Pontificia, quà Imperatoria, quà Regia poteſtate, quam demandatam habemus (extraquam, ſi quid factum eſſet, quod Academica lege vetitum, exceptumve fuit, ac fuerit

fuerit) ut ad eundem pleno Jure, perfectoque ſpectarent.

Igitur, ut idem ornatiſſimus Prolyta in omnibus inalpinæ, ſubalpinæ ditionis, ac Regni locis, præterquam in urbibus, oppidis, in quibus Senatus haberi, Præſes Provinciæ conſtitui, Judexve beneficio Principis creari conſuevit, artem medicam exercere, profiterive poſſit, ſimili modo decrevimus, juſſimuſque hos honoratæ miſſionis Codicillos ejus dignitatis, poteſtatis, beneficiorum, Jurium, inſigniumque datorum ad ipſius Prolytæ perpetuò duraturum decus, & gloriam exarari, ut doctrinæ ſuæ domi, foriſque æternum ſint documentum.

## FORMULA QUINQUAGES. QUINTA

*Codicillorum laureæ vel Civilis, vel Theologicæ.*

OPtima veterum inſtituta perennem utilitatem habentia, ſi nunquam poſteritas negligere debuit, illis procul dubio peſſimo publico derogaſſe videretur, per quæ doctrinis vel certi ſtatuuntur honores, vel doctis juſtæ poteſtatis legitima decora permittuntur, ut populus, qui non ab egregiè factis viros dignoſcere ſolet, ornatu, nomine, dignitate diſcretos oculis uſurpare, præſenteſque vereri condiſceret. Et quemadmodum nihil eſt tam exiguum, quod maximo in pretio eſſe nequeat, ſi raro, & optimis tribuatur, ſic magna quamvis præmia dignitatum ſi indignis, & paſſim conce-

cedantur, ita ſordeſcunt, ut nihil eis poſſit eſſe deſpectius. Vidit quondam Romana Civitas fortiſſimos milites ob accepta pro patria, pro Civibus vulnera, quernâ, gramineâque fronde contentos: vidit & ſummos Duces victis hoſtibus ovantes, triumphanteſque myrto, & lauro redimitos; Olympiorum verò victorem per diruta in patriam mœnia curru revectum, oleaſtroque coronatum immortalibus epinicijs maxima Græcorum ingenia celebrarunt. Hæc levia, & quantumvis humilia nemo ſanus non magis miretur, ac velit, quam aulicorum quorundam [1] ſuperbas ſtatuas, altas effigies, vel elatos, locupleteſque libertorum [2] honores, licet inſolitis Romani Senatus conſultis, ac ſignatis in ære titulis, amplificatos, quibus non illi ſublimes abire poterant, carentes omni virtute: ſed honorum ipſa pretia, quaſi obruta cœno, peſſum iviſſe videantur. Conſtabit enim mercedi dignitas, quoad illa virtuti conjuncta ſit; quicum humilia non extolli nequeunt,



[1] *Sejani, Tigillini, & ſimilium vid. Tacit. lib. 3. annal. cap. 73. & lib. 4. cap. 2. Senec. de Conſol. ad Marc. c. 22. Dion. lib. 58. Sueton. in Tiberio cap. 48., & 65. vid. quoque eund. Tacit. lib. 15. cap. 72.*

(2) *Ut Pallantis vid. Sueton. in Vitell. cap. 3. & Tacit. annal. 12. cap. 53. Plin. lib. 7. ep. 29. & lib. 8. ep. 6.*

parva non creſcere præmia, & quâ remotâ, clara non obduci tenebris, magna non deprimi.

Profectò [a] Romanorum vetuſtiſſimis optimè poſitum in moribus erat, ut [b) Juris ijdem cuſtodes eſſent, qui Religionis, qua re ſalvus honos utrique foret, quum illos prætextâ (c) & apice decoratos plebs venerari, & auguſtos [d] putare conſueviſſet; donec ex adytis deducta Pontificum, & ſolio (e) donata (f) Juriſprudentia [g] Civitates Principes ſui ſtudioſos haberet, (h) ac mutatâ Republicâ confugeret in palatium, in quo Imperatorum arbitrio, ſelectis dumtaxat, & graviſſimis Viris facultas ejus tractandæ fieret. Manſit ejuſdem dignitas cum Imperio, [hh] ac barbaricâ exundante colluvie, reſtituta ſæpiſſime fuit, bonarum artium domicilijs excitatis, inſtauratiſque; vetuſtæ tamen originis non oblita, pileo, & togâ (i) Romanâ cultos ſuos Profeſſores habuit, quibus ne defuiſſe videretur ex illuſtri doctrina nobilitas, aureus datus annulus excelſiorum ordinum ſignum, & de-

(*a*) *Vel* Chriſtianorum. (*b*) *Vel dic.* Theologiæ. [*c*] Sacris indutos. (*d*) *Adde* merito. (*e*) Cathedra. (*f*) Theologia. (*g*) Populi doctiſſimos. [*h*] Cætera ad finem uſque periodi in Theologia omittuntur. (*hh*) *Adde* Romano. [*i*] *Dele* togâque Romanâ *dic.* Pallioque.

decus. Quæ cuncta peti, & obtineri nunquam è Republica viſum eſt, niſi [ l ] Juriſconſultorum prima munera præſtitiſſent, qui bonis artibus inſiſtere potius, quam inertiæ, ac luxui voluere, ne clara quondam nomina, quæ ad nos uſque pervenerunt, à priſca, nativaque præſtantia, pretioque degenerarent. Obliteratis igitur Hieronicarum honoribus, belliciſque victorum trophæis, ac palmis uſu ſublatis, ſtet (n) Juriſprudentiæ vetus amplitudo: ſervet, quod promittit *Doctoris* nomen: nec quiſquam [o) ſe ſe Juriſconſultum verbo, ſcriptove profiteatur, qui, quod ſpopondit, præſtare Civibus, exteriſque nequeat. Sic etenim parilis erit ſudoribus merces digna, quæ repetitis ex vetuſtate nominibus, publice conferatur, & quæ conferatur à Principe.

Hanc laborioſam oppidò viam, poſtquam *Johannes Baptiſta Mazeus* ſemel inivit, & per adverſa periculorum, itinere annorum plurium abſoluto, in doctrinæ, ac virtutis culmen tandem evaſit, jure præmiorum cupidine flagravit, quæ Taurinenſi in Lyceo doctis dumtaxat, probiſque ſervantur. Quare, quum V. C. Anteceſſor in [a] Jurisperitorum illuſtri Collegio, de Laurea lectiſſimo Prolytæ deſtinanda referret, hæc ſingulorum fuere ſuffragia, Collegij totius ſumma conſenſio-



( *l* ) *Dic.* Theologorum. ( *n* ) Theologiæ. [ *o* ] Theologum. [ *a* ] Theologorum ſacro.

ne, lætiſque vocibus excepta, demandata quoque litteris, ac promulgata.

Cenſuere Patres, quòd *Johannes Baptiſta Mazeus* primis uſque à ſtudiorum ſuorum temporibus ſollertiæ, ſtudijque plura ſpecimina dederit, & quæ diligentiæ retulit egregia teſtimonia, quater privatim, bis publice, nec dolo malo ſurrepta, nec à veritate aliena fuiſſe probarit: quòdque Magiſter Artium liberalium, Juriſque divini, humanique (b) Candidatus, Prolyta renunciatus, quæ munera ad Academiam pertinerent, rite perfecerit, quum extra ordinem in habitis ex publicâ poteſtate conventibus ſe ſe diſputatorem idoneum, acremque præbuerit; & quòd demum, quid ſcribendo poſſet octo & quadraginta diſputatis enunciationibus ex delectis binis Juris Pontificij, & Civilis capitibus (c) ſemel & iterum demonſtrarit, uti *Johanni Baptiſtæ Mazeo* omnes Lycei noſtri dignitatum gradus ordine adepto, quæ ſtudioſis, necdum Juriſconſultis (d) renunciatis convenire queunt, poſt quinquennij (e) tamen emenſum tempus, Juriſconſulti munus, doctoriſque nomen deferretur; & hoc amplius è re litteraria nos facturos fuiſſe, ſi id ordinis judicium ratum habentes, noſtra quoque ſententiâ confirmaremus.

Quo-

(*b*) *Dic.* Theologiæ. [*c*] *Dic.* ſenis quæſtionibus. [*d*] *Dic.* Theologis. [*e*] Quadriennij.

Quocirca V. C. Anteceſſor mandatu noſtro, nobiſque præſentibus, ac rei auctoritatem accommodantibus, poſt habitam de laudibus viri lectiſſimi orationem pro tribunali pronunciavit, *Johannem Baptiſtam Mazeum* publici, privatique Juris (f) doctorem eſſe eâ optimâ lege, rituque, quo Juriſconſulti [g) Pontificum auctoritate, Principumque conſtitutionibus qualibet in Academia creari ſolerent. Laureæ propterea gerendæ perpetuò facultatem habere, qua doctrinæ decus togato non abſimile foret, quod olim bellicis cumulato virtutibus erat. Aureo quoque donatum annulo civilis nobilitatis luminibus auctum ſignificavit, quæ proprijs quæſita laboribus, nec arceſſita remotius, propria eſſet, & ſua. In Cathedram inde (a), velut in ſolium Juriſconſultorum inductum, libriſque, doctrinæ ſymbolis clauſis, & apertis oſtenſis, ac traditis, ad oſculum more majorum admiſit, quo tandem & ſe ſe ipſe Juriſconſultum (b) jure optimo creatum agnovit, nos vero, & Patres eundem doctorem, quod Academiæ bonum eſſet, ac fauſtum, gratulabundi conſalutavimus. Quæ

(*f*) Theologiæ. (*g*) Theologi. [*a*] *Dic.* Theologorum, *ac deme ſequentia*. [*b*] *Dic.* Theologum, *etſi de ſpeciali laurea ſermo ſit. Dic.* in Collegium allectum nos Doctorem peculiari jure creatum, Collegam Patres, conſalutarunt.

Quæ cuncta Pontificia, ac Principali, qua mandata fruimur, poteſtate cœpta, perfectaque declarantes, definimus *Johanni Baptiſtæ Mazeo* Doctori renunciato Jus eſſe ubicumque Terrarum in poſterum conſulendi, deque jure publico, privatoque reſpondendi, nec non [ ſi id è Republica cenſeatur ] judicandi, juriſque dicundi ſacras dignitates, civileſve magiſtratus gerendi, quos magiſtratus, poteſtateſve Juriſperitos gerere legibus, vel quo alio jure conveniat: ( c ) ejuſque dignitatis ergo gentilitio ſtemmati, quod habuit, habueritque, ſi ſua intereſſe putaverit, imponendi ſigna patentium galearum. Cætera demum, quacunque ſanctione, reſcripto, privilegio, beneficioque Doctoribus, juriſque peritis ( d ) conceſſa, permiſſa, perfecto abſolutoque Jure, uti ei competant, volumus; eaque, quantum nobis datum eſt, proferentes, enixè curamus, ut hoc luculentiſſimo Codicillorum, & in perpetuum valituro documento non ſolum immortalis honoris memoria ſervetur, ſed quoad fieri poteſt, ejus ſplendor, & fructus quoque redundet in patriam, ſuos, & poſteros.

FOR-

[ *c* ] *In Theologia loco ſupraſcriptor. dic.* de morum, ac Religionis diſciplina, decretis, & jure conſulendi: Theologica præcep. tradendi, profitendi, ſacraſq; dignitates adminiſtrandi, quas Theologos S. legibus, vel quo alio Jure. [ *d* ] *Dic.* Theologis.

# FORMULA QUINQUAGESIMA SEXTA
## Ejuſdem argumenti,
### *Pro Medicinæ Doctoribus.*

DIſciplinarum omnium altricem, & magiſtram, humanitatiſque parentem Gręciam, ex qua primum cum litteris in univerſas(a)Orbis plagasCivilis vita decentius conſtituta profluxit, quum omnium artium genere delectatam eſſe compertum videtur; tum utilibus illis ac ſalutaribus ſtudiis, quibus cultius, humaniuſque mortalium genus effectum eſt, homineſque non agreſtes, atque ferini, quos Barbaria edere ſolet, ſed humani, Civileſque populi, beati atque florentes, manſuetas inter nationes eminuerunt. Inde namque matheſis, eloquentia, rerum naturalium peritia, rationalis & univerſalis philoſophia, & cum primis Medicinæ ſtudium in Italiam, & ex hac in reliquas Mundi partes commigrarunt; quarum pulcritudine captæ reliquæ gentes, non prorſus immani natura feroces, ita ad eas ſe tranſtulerunt, ut apud prudentes, gnaroſque vivendi maiori quoque in honore forent, quæ magis in iſtis excellerent. Ratione ſiquidem longe diſcreti ab animantibus homines, quo ratiocinando magis, quàm cæteri valent, eo magis & à feris diſtare, & ad divinas illas, immortaleſque mentes propius videntur accedere, quibus nulla materiæ contagione fœdatis, quidquid perſpicere datur, purum, ac liquidum, & nullius obvolutum erro-

[a] *terrarum*

ris caligine patet. Quæ præſtantium virorum ingenia, ſi quæ meditando poſſunt, ea omnia in Civium utilitatem diſponant, ac flectant: æternum merito nomen inter exteros aſſequuntur, quod egregiis operibus ſibi inter ſuos acquiſierunt. Cui juvando, propagandoque, publicas, ſummaſque poteſtates excubare præſtat, ne ſubductis honoribus virtutum, & artium ſtimulis, conatus illorum langueant, ac torpeant, cœtuſque mortalium, velut hebeſcente lumine, vagis opinionibus, ac pravis erroribus iactatus, atque perculſus in eam ſenſim agreſtem negligentiam morumque barbariem relabatur, quam longo temporum intervallo ſummo labore, ac ſtudio diſcuſſit.

Magno propterea in pretio ſolet Academia Taurinenſis habere viros, quibus ea divinitus contigit ingenii & doctrinæ vis, ut profuturæ mortalibus eorum meditationes, & ſtudia videantur. Quorum cauſſa, quum *Joſephum Brunum* adeo Phyſiologiæ, & Medicinæ vacaviſſe conſtet, ut profectu minime pœnitendo eam artem colere, profiteri magno cum Civium & exterorum commodo queat, publicam hujus faciundæ poteſtatẽ ei de more concedere, poſt quadriennij tamen perfecti labores, atque pericula, æquiſſimum cenſuit. Quum enim viri in Philoſophia præſtantiam exploratam habere, quod vario experimento doctrinæ magiſter Artium primum, dein elementis

mentis Medicinæ diligenter arreptis, ejus facultatis Candidatus dictus, creatuſque ſit; & poſitis artis utiliſſimæ rudimentis, poſt longa ſimul, & plura de ipſius aſſiduo, jugique ſtudio tentamenta, plenamque cognitionem Magiſtratus decreto privatim, publicè Collegij univerſi ſententiâ Prolytæ cum honeſta miſſione nomen adeptus ſit, ad ſummum honorem non perduxit, niſi ſero, & inſtauratis privato, publicoque ſpecimine, liquidiſque probationibus rerum medicarum peritiâ demonſtratâ. Quamobrem hoc inſigni virorum illuſtrium teſtimonio, comprehenſiſque cœtus univerſi conſulto præconiis, in ævum permanſuris ſic affectus eſt, ut parem virtuti mercedem retuliſſe videatur.

Quod *Joſephus Brunus* ob ingenitam animo ſtudendi cupiditatem in Academia Taurinenſi per quadriennium operam in Medicina perdiſcenda ſollertem, nulloque labore, periculoque interceptam ita collocavit, ut de ſtudiorum aſſiduitate teſtimonia diligentiſſime, & per legitima intervalla retulerit; quumque neque vigiliis pepercerit neque ſudoribus, ut cœpto molimini finem imponeret, & ob idipſum (licet antea ſæpè tentatâ, perpenſâ, exploratâ viri ſcientiâ non una pluries inire diſcrimina debuerit,) extremum ac cæterorum difficillimum ſubire periculum minime detrectaverit, acute, docte, ſollerter omnibus reſpon-

dendo

dendo, ſatiſque interrogationibus de facultatis univerſæ partibus, & quæſtionibus faciendo; quam ob cauſſam ampliſſimum ab univerſo Magiſtratu præſente decretum cum laude reportavit; demum, quod publicâ, poſtremâque diſputatione, octo & quadraginta diligentiſſimè proprio Marte compoſitas, editaſque theſes & ritè, & more expoſuit, impugnatas vindicavit, & rationum contrariarum pondus elevavit, aciemque argumentotum maximo cum aſſenſu coronæ retudit; Collegio placuit *Joſepho Bruno* lauream impertiri, cæteraque hujus rei cauſſa permiſſa, darive ſolita præmia Clementiſſimi Noſtri Regis auſpiciis, nec non ſummarum poteſtatum jure, privilegiiſque, quibus Academia nititur, ac illuſtratur, uti maximâ,optimâ, abſolutiſſimâque lege conceſſa hactenus ſunt, fuerint, viro præſtantiſſimo dari, permitti, quæ cuncta, domi, & ubique proficiant: eique decori, & claritati ſint, ſicut quælibet honoris prærogativa cuique,qui eam optimo jure poteſtatē publicè nactus ſit, competit, competatve.

Hoc clariſſimi ordinis judicium Præconis voce renunciatum nos comprobantes C. U. Medicinæ Profeſſori curationem dedimus, ut honoris ſigna *Joſepho Bruno* ex permiſſa nobis auctoritate tribueret, qui eum medicinæ Doctorem creatum renunciavit, poſtquam de laudibus ipſius ſollemni recitata

lau-

laudatione, libros clauſos, apertoſque dignitatis ſummæ, perfectæque ſymbola tradidit, inque cathedram perduxit virum docendi capacem, & aurei annuli jure tributo non perfectam libertatem, ſed egregiam dignitatem, ejuſque propriam extituram, & claram eidem indulſit. Laureâ deinde capiti datâ periculis omnibus egregie defunctum oſtendit, quæ potiundæ virtutis cauſſâ pluries ſubire certamina debuit. Eo vero modo creatum Doctorem, publiciſque decoratum inſignibus Collegium, vocibus conſalutavit, oſculo agnovit, necnon excepit amplexu.

Quibus plenam præſtantes auctoritatem, & ea peramplo diplomatis teſtimonio confirmantes declaramus, *Joſepho Bruno* Artium Magiſtro, Medicinæ Candidato, Prolytæ, Doctorique creato poteſtatem eſſe artem Medicam ubique faciendi, & cum ea Philoſophiam profitendi, docendi, cæteraque gerendi, quæ, quacunque lege, conſuetudine, privilegio, Medicinæ, & Philoſophiæ Doctores ubique gerere, habere, fruique conveniat; eique ad eos honores, dignitateſque aditum patefactum eſſe, quæ jure, moribuſque Medicis, Philoſophis, utriſque, vel eorum alterutris congruere potuerunt. Illud demum addimus, eidem honoris ergo, quem in Academico conventu ſuſcepit, jus eſſe (dummodo id ſibi convenire arbitretur) gentilibus ſignis, quæ habet, habebit, habuerit imponendi reclu-

recluſæ ſymbola galeæ.

Omnia verò, quæ præſcripta ſunt, ut perpetuam firmitatem obtineant, hos Codicillos, ſeriem geſtorum integram continentes exaratos de more conceſſimus, ut eorum memoriæ conſulant, perpetuæque viri famæ ſerviant, quam nulla oblivio deleat, nec ætas aboleat, & familiæ ac patriæ nomen illuſtrent, demum & gloriam longiſſime proferant, & amplificent.

## FORMULA QUINQUAGES. SEPTIMA

### *Juris Civitatis, quo Studioſi donentur.*

QUoniam *Petrus Joſephus Reſſia Joſephi Dominici* F. Juris Civilis (a) & Pontificii auditor in Academia Taurinenſi, in hanc urbem regni, gentiſque caput ea ſeſe de cauſſa contulit, ut bonis artibus vacans, in ipſa æternum habeat domicilium, quo major Civium copia ſit, qui nobiles diſciplinas addiſcentes, eas colant, propagent, & ornent, *Petrus Joſephus Reſſia* ſtudioſus Romani, ſacrique Juris in patria noſtra Jure Civitatis lares obtineat, habeatque. Quæ propterea, noſtris Civibus quoquo Jure, conveniunt, quominus *Petrus Joſephus Reſſia Joſephi Dominici* F. Civis allectus præſtare, tenere, poſſidere, facere queat, vim injuriamque fieri, Magiſtratus urbani, quiſque ſua pro Religione, & auctoritate permiſſa vetabunt.

FOR-

(*a*) *vel* Theologiæ Medicinæ &c.

## FORMULA QUINQUAGES. OCTAVA
### Ejuſdem argumenti,
*Pro Facultatum liberalium Profeſſoribus.*

QUod egregiis, magniſque virtutibus in Rhetorica (a) diſciplina tradenda ſollertia, facilitate, (b) in rebus Civitatis ornandis ſtudio, & Eloquentia, in reliquis omnibus eruditione, doctrinâ, integritate, modeſtia N.N. U. C. in Taurinenſi Lyceo Profeſſor, bonorum animos ſibi jure, meritoque conciliavit, quodque etiam ex ejus in hanc Urbem adventu, & mora ſtudioſæ juventuti plurimum utilitatis acceſſit, & ornamenti, ob ſcientiæ varietatem, virique in Hebraico, Græco, Latinoque (a) ſermone præſtantiam, cujus rei cauſſa ad cæteras electas Artes addiſcendas adoleſcentes inſtructiores, & doctiores aggrediuntur; nec non ob alia, quæ pars optima populi lubens accepit, erga quem præcipuum ſemper obſequium, ſummam benevolentiam, & caritatem oſtendit: Civitas, quæ viciſſim amandis, colendiſque præſtantiſſimis viris, de ſe, ſuiſque bene merentibus nemini cedit, ut Juvenes ſapientiſſimorum hominū exemplo digna Italico nomine perpetrare pergant: N.N.U.C. eloquentiæ Profeſſorē Civem allegere cenſuit, eo ſcilicet modo,

*F quo

[a] Phyſica, Logica, Theologia.

(b) *Hæc omitti poſſunt ſi nihil ad Cives, & Civitatem ſpectans ediderit.*

(c) *Hæc facile pro arbitrio in alia mutaveris.*

quo, more majorum, non niſi doctiſſimis, fortiſſimiſve viris, qui ſcriptis, factiſque Rempublicam exornarunt, nonnunquam facere conſuevit. Ea propter U. C. Rhetorices in Atheneo Profeſſori ob ea decora mentis egregia, & ſcripta preclare [d] in urbe noſtra Jure Civitatis, Aræ, focique ſunto, uti fuere in urbe cunctarum Principe majoribus noſtris, qui Coloniæ prærogativa deducti in hanc uberrimam Italiæ regionem, Principibus poſtea ſuis, Civibuſque felicem, inde bonis avibus emigravere. Civium votis M. Q. annuat Deus, ut quam ſuffragiis omnium N.N.C.U. nactus eſt patriam, eandem eximiis ingenii documentis, & permanſuris operibus illuſtrare ne deſinat.

## FORMULA UNDESEXAGESIMA

*Jurisjurandi, a Profeſſoribus præſtari ſoliti.*

QUando Victor Amedeus Rex nos arceſſivit, juſſitque, ut in Academia bonis artibus, & præceptis Juvenes informemus, neque ob id Catholicæ Religioni, Patrum inſtitutis, bonis moribus, Principum poteſtati, dictis, ſcriptiſve officiamus, idque legibus ſanxit, ob eam cauſſam, quemadmodum iis legibus, ut hæc omnia fiant, comprehenſum eſt, ita ex animi noſtri ſententia juramus, ita hujus rei ergô Deum, cuius hæc ſunt, quæ tenemus, Evangelia, teſtem advocamus. Si ſcientes, prudenteſque fallimus, vivos nos ipſe

Deus

(d) *Si quæ tamen ſint.*

Deus perjurii vindex ærumnis, lethoque datos, pœnis afficiat. Ego *Franciſcus Dominicus Bencinius* S. Theologiæ Profeſſor, ut his conceptis verbis præſcriptum eſt, ita per hæc ſancta Dei Evangelia ſpondeo, ac juro.

# LEGIS ACADEMICÆ PRÆCIPUA CAPITA.

## CAPUT. I.

### *De Dei, eiuſque Matris cultu.*

STudiorum initium iij. Nonas Novembreis eſto: ejus rei cauſſâ Lycei Rector, Anteceſſores, Profeſſores, Collegia, in Academiam coëunto; inde pompam ad Divi Johannis Aedem ducunto. Sacrificio ſollemni Deum caſtè pianto: vota pro felici doctrinarum exitu nuncupanto. [a]

Virgini Matri Athenæi Præſidi binas quotannis ſupplicationes habento, alteram viii. Kalendas Aprileis in Divi Franciſci è Paula, alteram xviii. Kalendas Septembreis in ejus Divæ *Conſolatricis* templo; primâ in medio laborum curſu Divæ preſens auxilium implóranto; alterâ ſtadio illorum emenſo, pro beneficiis grates agentes, vota nuncupata ſolvunto. (b) Quotidie duo in Academiæ Sacello Sacrificia celebrantor: ad ea ſtudioſorum ordines adeunto piè; ut rectè, & de more procedant, ejus Rector Academię curato. [c]

*F 2 Feſtis

[a] *Ex lib.* 2 *Regiar. conſt. tit* 22. *pag.* 201. & *ſequent,* §. 39. (*b*) 43. (*c*) §. 30.

Feſtis diebus ſtudioſorum in eâdem Ædicula conventus indicuntor: hymnis, pſalmiſque Cœli propitianto Reginam. Sacerdos brevi ſermone concionem alloquitor: myſteria divina perficito. Modeſtè ſacro in loco cuncta gerunto. [a]

Quæ ad Dei, Divorumque cultum pertinent, cætera Rector *Reformatorum* conſilio moderator.

## CAPUT. II.

*De Academiæ Magiſtratuum, & aliorum officio.*

Legitima Lycei imperia ſunto: Qui Profeſſores, ſtudioſos patrocinio defendere, ipſorum immunitates, jura, privilegia tueri debeat, Academiæ *Conſervator* eſto: ipſe moribus juventutis, Athenæi decori, litterarum propagationi, cultuique conſulito. [b] Omnes juſto regito imperio; ſive privato, ſive publico judicio inter Anteceſſores, Profeſſores, Miniſtros, alioſque decertabitur, Quæſitor, & Judex eſto. Longa prohibeto jurgia: de plano cognoſcito, ni rei gravitas prohibeſſit. Nulla provocatio eſto, extraquam ſi maior decem aureis lis æſtimata ſit: aut criminali judicio reus pœnam in vinculis pati debeat menſtruâ longiorem. Tum ad Senatum provocatione vocanto; nequa tamen provocatio civilem ſententiam remorator (c)

Si in H. L. (e) commiſſum ſiet, inquirito, &

[a] §. 31. (b) §. 2. 3. 4. 7. 8. (c) §. 4 §. 5.
(e) *hanc legem.*

& vindicato. Honoraria Profeſſoribus eius ſubſcriptione ſolvuntor; ſi muneri præſtitutis temporibus Anteceſſor, Profeſſorve defuerit, Accenſus in culpam ſubſcribito: ob deſertam commentationem ſalarii ratam tempori reſpondentem *Conſervator* multam dicito; præterquam ſi morbo ſontico aliâve juſtâ cauſsâ Anteceſſor, Profeſſorve prohibeatur. Multaticiam pecuniam in Lycei ærarium inferri jubeto. (a)

Quæ theſis in Academia diſputanda ſiet, nequa typis cõſignator *Conſervatoris* iniuſſu. (b)

Ipſe in Moderatorum conſilio primas teneto. Moderatores Anteceſſoribus, Profeſſoribus, Collegijs, ſtudioſiſque præſunto. Quæ dubia in Academiæ conſtitutis fuerint, (c) interpretantor.

Singulis quibuſque menſibus conſilium indicito *Conſervator* ſemel, pluriesve. Anno ſtudiorum labente idem vocato: quas anno ſequente doctrinas tradi oporteat, oportebit, de Profeſſorum ſententia conſtituunto (d).

Religioni Dei Opt. Max. nequid abſonum doceantur Adoleſcentes, neve Principum majeſtati contrarium, vidento Moderatores: ob eam rem ſemel quotidie commentationibus Profeſſorum audiundis in orbem vacanto ſinguli: quantum ſtudioſorum quiſque proficiat, attenduntо: Juri, modeſtiæque, loci-



(a) §.45. (b) §.8. (c) §.§. 9. & 10. (d) §.12.

locique reverentiæ nec congruentia coërcento. [e)

Vacantia Profeſſorum ſtipendia ad Athenæi ærarium conferunto. Pecunia ex fide ab Ærarii Præfecto ſervata in utiles erogator librorum impenſas. (f)

Ut H. L. (a), quæve alia in poſterum rogata fuerit, ſervetur, neve adverſus eam fiat, ſententiamve ejus, ab Academiæ Magiſtratu Fiſci Patronus, & Cenſor in tempore diligenter expoſcito. Eo nec audito, quod Academiæ, ſuaque intereſſe videbitur, nihil agunto. (g) Scripta typis mandanda ipſe ſollerter examinato: noxias Principum Juribus, Regni tranquillitati, & Lycei dignitati contrarias opiniones obliterato. De ea re Quæſtorem ſacri Palatij, quem magnum Cancellarium dicunt, facito certiorem.

Kalendarium, Academiæ Cenſor de Moderatorum ſententia quotannis abſolvito: dies, ſtudiorum tempora, doctrinaſque tradendas rite deſcribito. Commentarium ſtudioſorum ex tabulario deſcriptum habeto: eorum nomina, patriam, hoſpitia, moreſque cenſeto. Moderatores de his poſtremis monitos facito. (a)

Lycei Rector creandus à Principe, prius à Conſiliarijs inter ſtudioſos aliquot nominator

[e] §. 13., & 14. (*f*) §. 15. (*g*) §. 16., & 17. (*a*) *Hæc lex*. §. 19., 20., & 21.

nator. Trium, ex quibus unum deligere Rex poſſit, hi nomina deſignanto. Ut Conſiliarij creentur, quatuor è condiſcipulis ſuæ facultatis ſcripto ſtudioſi ſinguli apud *Conſervatorem* edunto. In quos ſine fraude plurimi conſenſerint, ijdem jure creati ſunto. Ex tribus diſciplinis Theologica, Legitima, Philoſophiæ, & Artium, duodecim eliguntor. (b)

In ſollemnibus Rector prætextam togam, & infulas, in reliquis de more puram induito: contentiones non ingenij exacuendi gratiâ ſuſceptas, & turbas ſedato. Ad Academicas dignitates nullo ſuo diſpendio, vel ſuorum adſumitor: eique alium legendi, qui nullâ impensâ honores aſſequatur, facultas eſto. [c)

Præfecto Bibliothecæ, minores Bibliothecarij, & Cuſtodes parento. Quærendorum illuſtrium operum ei curatio eſto. (d)

Quotidie tribus horis ante meridiem, totidemque poſt meridiem faciundæ librorum copiæ in Athenæo Bibliothecarij, & Cuſtodes verſantor. Ferijs, pomeridianis horis labori parcunto. Ab Idibus Octobribus ad IV. Nonas Novembreis vacationem integram ab eo munere nanciſcuntor. (e)

Scriba Academiæ tabulario præficitor:



(*b*) §. 23., 24., 25., & 26. (*c*) §. 32. 33. [*d*] §. 34. (*e*) §. 35.

acta judiciorum excipito, & geſta conſilij: in tabulas cuncta referto. (f)

Diebus faſtis in Archigymnaſio ſemper adeſto. Pecuniæ pro impenſis Academicis expendendæ deſcriptum publice modum habeto. (g)

(*f*) §. 36. [*g*) §. 36.

## C A P U T. III.

### *De ſtudiorum ordine.*

PRimum ſtudiorum diem annua oratione Eloquentiæ Profeſſor auſpicator: breviori Fiſci Patronus, & Cenſor commemorato Anteceſſorum, & Profeſſorum officia. Quod ſingulis annis Rhetoricæ Profeſſor, id ſemel novi Anteceſſores, Profeſſoreſque initio præſtanto: exinde uti libuerit, ita vel de facultatum præſtantia, & utilitate præfantor, vel pridie Nonas Novembreis ad enucleandas bonas artes ſtatim aggrediuntor. (b)

Horæ, & quadrantis ſpatium commentationi præſcriptum eſto: hoc intervallo dictare, ſcripta Profeſſores explicare, ipſorumque juſſu tradita memoriter recitare debento ſtudioſi. [c]

Hebdomadis ſupremo die diſceptandam theſim illi legunto: hanc aliquot ante diebus Studioſus, cui id negotium datum eſt, pro foribus promulgato: ejuſdem diſputatoris nomen inſcribitor. In eam à Profeſſore deſi-

(*b*) §. 39. (*c*) §. 46.

deſignati dicunto Candidati ; poſtea cuique diſcipulorum ad exactum uſque temporis ſpatium ratiocinandi jus eſto. Matheſcos, Eloquentiæ, Profeſſoreſque linguarum, quibus ea ratio convenire nec videatur, auditores aliter exercento. (d)

Anatomes Profeſſor annali ſpatio artis præcepta doceto. Ipſe, poſtque eum Chirurgus, hyemali tempore docendæ Juventutis ergô, humanum cadaver ſinguli diſſecanto. [e)

Dies XVIII. kalendas Septembris ſtudiorum ſuprema tempeſtas eſto. A kalendis Quintilibus ad id tempus, Anteceſſores, Profeſſoreſque antemeridianis horis, alternis docento; pomeridianis, diſputationibus publicis, aliiſve exercitationibus operam danto. Emenſo ſtudiorum curriculo, ſcriptorum explanatorum deſcripta exempla ſingulis annis in Bibliothecam conferunto. (f)

(*d*) §. 48., & 54. [*e*] §. 49. (*f*) §. 57. 58.

## CAPUT. IV.

### *De privilegiis Academicis generatim.*

QUi adoleſcentes ad Academiam confluunt, nequi ſtudioſorum nomine, ac Jure dignantor, ni prius nomen togatæ militiæ dederint, inque Commentarium Athenæi relati fuerint, eâque de cauſsâ Codicillos acceperint, terque ſingulis annis diligentiæ teſtimonia à Profeſſoribus retulerint. De ſtudioſis neque ſollertibus, neque mo-

deſtis

deſtis, ſibive obſequentibus Profeſſores teſtimonia ne perhibento. (b)

Magiſtratus, Profeſſores, Domeſtici, Auditoreſque eorum, & adminiſtri Lycei immunes à cibariorum, librorumque vectigalibus ſunto. In conducendis ſine fraude domibus ſunto cæteris potiores: ejus rei cauſſa penſiones, ne cui augere liceto; omnes à tutelis, curis, præbendis militaribus hoſpitijs, publiciſque muneribus excuſantor. (c)

Qui Anteceſſores in Academia per annos quinque jura profeſſi ſunt, erunt, fuerint, quominus eis de jure Judicibus reſpondere, adſidere, magiſtratuſve capere ſine Senatus cognitione liceat, ne prohibentor. (d)

Doctorum tria ſunto Collegia, Theologorum, Juriſprudentum, Medicorum. Eis ex H. L. convenire, ac nova inſtituta condere, quibus nihil H. L. obrogetur, derogeturve, liceto. Duos Academicorum honorum poſtremos gradus hæc tribuunto. (e)

Academicarum dignitatum gradus quatuor enumerantor: ijs inſignitos artium Magiſtros, Baccalaureos Candidatoſve, Prolytas, Doctoreſque nominanto. (f)

(*b*) §. 59. *&* 60. (*c*) § 61. [*d*) §. 62.
(*e*] §. 63. 64. 10. (*f*] §. 65.

## CAPUT V.

### *De communibus Academicis honoribus tribuendis.*

ARtium Magiſtrum exiturum, *Conſervatore*, ejuſve juſſu, alio præſente Modera-

deratore (g) Philoſophiæ Profeſſores de Logicis inſtitutis interroganto; extra quam, ſi Medicam artem profiteri volet, tum enim Phyſiologicorum præceptorum expertem ab hoc ingreſſu dignitatum arcento.

Qui Candidatum gerere volet, poſt Theologicas, Legitimas, Medicas inſtitutiones annali ſpatio acceptas, de ipſis reddito rationem. In ejus ſcientiam *Conſervatore*, *Moderatoreve* præſente, tres à primo delecti Profeſſores inquirunto. Semel renunciatus in Academicis conventibus ne recitare, ac diſputare vetator.

Prolyta ante tertium ſtudiorum annum nemo creator. (a) Contra ejus ſtudia triennio peracta, Collegij Præſes, lectiq; duo Profeſſores, Doctorq; in idem Collegium cooptatus probandæ doctrinæ gratiâ duarum horarum ſpatio decertanto. Interrogatione perfectâ, qui interrogarunt, eunto in ſuffragia: Moderator illa dirimito. Idoneum Candidatum, quo publico periculo iterum experiatur, decreto proſequitor. Candidati repulſam paſſi nulla in tabulario memoria ſervator. (b)

Candidati privato facto cum laude periculo, publice in Aulâ diſputanto, Antiſtite ſacrorum, Vicariove ejus, pro tribunali rem cognoſcente. Ejus facultatis Profeſſores, Doctoreſque in Collegium adſciti, deſignatorum

[g] §. 66. (*a*] §. 67. (*b*) §. 68. 69. 70. 71. *Nova Conſt. anni* 1724. *cap.* 1. §. 84.

rum Prolytarum Judices, Cenſoreſque ſunto. (c)

Diſputationi, trium annorum, quod peregerunt, ſtudium eſto materies. Eam ob rem ex traditis doctrinarum partibus exquiſitas quæſtiones unoquoque anno Profeſſorum judicio delectas, in urnam conjicito Conſervator. Senas ex illis ſorte ducunto: exque ijs, quas ſortiti fuerint, octo & quadraginta publicè diſceptandas theſes Profeſſoria cenſura haud notatas deſignati Prolytæ eliciunto. Has typis conſignatas, poſt dierum quindecim intervallum, ab ipſa ſortitione à trium Prolytarum argumentis tuentor. (d)

Academicorum honorum ad ſummum, ſupremumque gradum nequis aſcendito, niſi exacto quadriennio à cœpto ſtudio Theologico, Medicove: quinquennio, ab acceptis Juriſprudentiæ rudimentis. Hujus temporis profectum lecti judices quatuor nec pauciores, Magiſtratu univerſo vidente, privatim inveſtiganto. Ea quæ H. L. [e] præſcripta, imperataque Prolytis fuere, fuerint, cuncta ſervanto. Hoc modo probatâ Prolytarum doctrinâ, privatim, ac publice laurea donantor pro concione, & præconijs afficiuntor, domum cum plauſu redeunto.

CA-

(c) §. 74. (d) *Nova Conſt. cap.* 1. [e] §. 77. 78. *N. C. cap.* 2.

# CAPUT. VI.

## *De peculiaribus honoribus deferendis.*

QUi ſimul ac lauream adeptus fuerit, in Collegium cooptari volet, id ei ex H. L. fas eſto. Sed privatim ter, publicè bis Candidatus auditor, antequam eam ob cauſſam honoris ergô mittatur à ſtudiis. Menſis unius ſpatio, bis ejus privatos inter parietes diſquirunto doctrinam. (a)

Quantũ tribus annis profecerit, prima interrogatione Profeſſores H. L. delecti, Præſes, Doctorque Collegii periclitantor. Trium horarum ſpatio ejus ſedulò conſideranto ſcientiam. Hæc ſi probabilis ſiet, eum videri Jure in hoc ingreſſum eſſe curriculum, interloquuntor. *

In præceptis, inſtitutiſque unius anni tempore traditis, interrogatio ſecunda verſator. Ea ſeligere Judices ipſi debento poſt primas privatim acceptas Candidati reſponſiones. Quantum in prima temporis impendi H. L. oportet, in hac tantum inſumitor. [b]

Privatas haſce probationes excipito publica diſputatio, cuique Prolytæ deſignato promiſcua.

Ad tertiam privatam Judicum de profectu diſquiſitionem, Candidatum poſtea vocanto. Hæc primis tempore parilis, amplitudine maior eſto; univerſæ doctrinæ præcipuas quæſtiones amplectitor. (c

Quæ

*(a) N.C. cap.3. * Ibi. (b) Ibidem. [c] Ibidem.*

Quæ poſtea habenda erit publica diſputatio, privatis ſpatio temporis par eſto. Enunciationum duplo maior numerus eſto, quàm earum numerus fuat, quas Prolytas non hoc jure deſignatos typis mandare, & de quibus diſceptare convenit. Hiſce perfunctum Candidatum à ſtudiis honoris ergô mittunto, inſignibus exornanto. (d)

Qui præter hæc, Doctoris peculiare nomen, & Collegii jura nanciſci volent, hi demum cum Præſide Collegii, Profeſſoribus tribus, ac Doctore in idem Collegium adſcripto congrediuntor. De integra (e) doctrina quatuor, vel quinque annis accepta Prolytæ reſpondento. Horis hoc modo tribus ſupremo, maximoque proludunto certamini.

Pridie eius diei, quam poſtremum experimentum facere debeant, ex ſummis, præcipuiſque totius diſciplinæ quæſtionibus duas Prolytæ ſortiuntor. Has quatuor & viginti horarum ſpatio diligenter explicanto, ſcriptiſve, typiſve vulganto. Ea de cauſſa in Academiam ſecedunto: nequem ea tempeſtate, præter Bibliothecarium alloquuntor. Poſtridie quam ſortitò quæſtiones evenerint, ſenis horis in Academia, ante meridiem ternis, poſt meridiem ternis publicè diſſerunto. Antemeridiano tempore binis cum Profeſſoribus, Doctoribuſve Collegii, *Conſervatoris* arbitrio, de prima quæſtione propoſita; pomeridiano, cum toti-

[d] *Ibidem.* [e] *N. C. c.4.*

totidem de altera decertanto. Perfectâ ea concertatione, necdum exacto tempore diſputationi præſtituto, alii Conſervatoris mandatu è Profeſſorum, Doctorum, Prolytarumve numero deſtinantor, qui aliis de rebus neutiquam binis illis quæſtionibus comprehenſis, quibus rebus Prolytæ integro curſu operam dare debuerunt, ad finem uſque diſceptanto. (a)

Theologi, Juriſperiti, Medici, qui ſcientiæ hęc pericula faciant, fecerint, ii peculiari nomine, ac laureæ Jure fruuntor: inque Collegium H. L. cooptati ſunto, nullâ præter laborem impenſâ: eorumque præcipua ratio in Regni Sacerdotiis, Magiſtratibus, honoribus obtinendis habetor. (b)

## CAPUT. VII.

### *Communia de Honoribus Academicis.*

IN quem ſtudioſum, Magiſtrum Artium, Candidatum, Prolytamve, quum honores petit, petieritque, privatim, ac publice Profeſſorum, Patrumque ſuffragia plura conſenſerint, ei ex H. L. præmia deferunto, præterquam, ſi peculiaribus honoribus ſtudeat; eum enim privatim interrogatum, ſi duo ex quinque, publicè diſputantem, ſi tres è duodecim rejiciendum cenſent, cenſuerint, a publicis Academiæ dignitatibus amovento (c)

Nequis in Collegium cooptatus, lectuſque eſto optimo Jure, ni publicis in Academiæ conventibus ob honores Juventuti concedendos,

(a) *Ibidem.* (b) §. 94. (c) *N. C. cap. ult.*

dos, indictis tribus annis frequentes adfuerint, juſſuque *Conſervatoris* in eis perite nec diſputaverint, deque ea re Præſes Collegii, duoque Profeſſores jurati teſtimonium poſt trienniū dixerint.(a) Qui contra faciunt, faxint, Judices doctrinarum ne ſunto, prærogativâ eorum propriâ, emolumentis, ac ſuffragii Jure privantor.

Si quis ante H. L. latam laurea donatus in Collegium adſciſci volet, eidem ita Jus eſto, ſi privatim interrogatus ſeveris Judicibus ſatisfecerit, poſtremo ſollemnique periculo raræ doctrinæ ſpecimen dederit: triennalique ſpatio ſimili modo frequens fuerit, ac diſputarit.(b)

Pauperies ne cui fraudi, ignominiæve fuat; egenum, ſed probum Juvenem, & diligentem gratis omni Academico honore dignantor. [c]

Si quid juſtum, legitimumque in cauſſa fuerit, quare cui gradus petere, obtinere neceſſe ſiet, ſtudia extra Academiam, urbemque Taurinorum Auguſtam perficere debuerit, ſi tamen prçſtituto hac lege temporis ſpatio ipſum diſciplinis operam dediſſe compertum erit, E. H. L. N. R. (d)

SAN-

[*a*] *Ibidem.* (*b*) *Ibidem.* (*c*) §.62. (*d*) *Ejus hac lege nihil rogatur.*

## SANCTIO.

QUi Anteceſſores, Profeſſores, Studioſi in eam Academiam venerunt, veniunt, venerint profitendi, addiſcendive bonas artes cauſſâ: quive Auguſtæ Taurinorum ob id morantur: quive in Collegia cooptati ſuo, vel quo alio jure, ſine dolo malo, fuerunt, fient, erunt, univerſi, ſingulique in peculiari Principis fide, clientela, patrocinioque ſunto. (a)

Si quis contra H.L. facit, faciet dolo malo, quominus honores Academicos in ea petat, petierit, quo aliâ in Academiâ ſine longo labore, multâque doctrinâ eoſdem obtineat, obtinueritve, id ei fraudi eſto. Neve propterea docendi, conſulendi, judicandi, remve medicam faciundi, adque honores illorum cauſſâ obrependi, Jus eſto. Neve acceptæ poteſtatis ergô, quid facere, præſtare, petere, obtinere liceto. [b]

[*a*] §. 103. [*b*] *Ibidem.*

# FORMULARUM ET ORATIONUM LIBER SINGULARIS.

## *PARS ALTERA* ORATIONES CONTINENS.

### De Pontificii juris addiſcendi neceſſitate,

### ORATIO PRIMA

*Habita in Archigymnaſio Taurinenſi Anno MDCCXXI. VII. Idus Novembris.*

QUum omnia bene, & prudenter A. O. ab Inviĉtiſſimo, & Auguſtiſſimo Rege noſtro conſtituta ſunt, ut Taurinenſis Academia ad priſtinam laudem, ſplendoremque revocaretur, tum nihil ſtudijs veſtris accommodatius eſſe mihi videtur, quàm quòd imperavit, ut illi nempè qui ad optimas tradendas artes huc invitantur, primo quoque tempore, veluti concione advocata, quid docturi, de quo diſputaturi ſint, ex hoc ampliſſimo ad dicendum loco proponant, & explicent. Quæ res, ut vobis miram præteritis his temporibus delectationem, & uberem fructum adoleſcentibus attulit, quum plura doctè, & eruditione priſcâ referta, multa diſertè, & pluribus ornata luminibus orationis, nonnulla quoque feſtivè, & urbanè dicta audiebatis, ſic vereor, ne mihi de Pontificio Jure dicenti hæc omnia contraria reperiantur, ita loci majeſtate commoveor,

& tot illuſtrium virorum frequentiam extimeſco; quum præſertim in eloquentia parum præſidij collocarim, & diſciplina ipſa, velut ſtudium ſeverum, & grave, majus quiddam eſſe videatur, quàm quod à junioribus ſcitè, & commodè pertractari queat. Licet enim ſumma forent in me adjumenta doctrinæ, quod certè mihi nunquam arrogaverim, temporis quidem ſatis non habui, ut omnino paratus, & inſtructus ad dicendum accederem. Quare ita me audiatis, rogo, obteſtorque, ut hominem, quem uſu, copiâque dicendi omnibus, qui dixerunt, inferiorem eſſe cenſeatis, diligentiâ verò, cui ſoli confidere conſueverim, ita mediocriter uſum, ut neque præ temporis anguſtijs diu meditata poſſim afferre. Parendum enim clementiſſimi, fortiſſimique Regis imperio, mos gerendus Principi fuit, & liberalium diſciplinarum reparatoris agenda omnia ad præſcriptum fuere; illius, inquam, cui non modò libertatem acceptam referre debeamus, verum etiam bonæ artes omnes priſcam dignitatem, atque ſplendorem. Sed, ut de reliquis ſileam, quæ mihi vobiſcum eſſe communia ſolent, illud præcipuum Regis beneficium, ac penè Divinum præterirem ingratus, quo me non ſolum cæteris juniorem, ſed etiam, qui nullo modo, aut ingenio, aut exercitatione, aut gloria, cum his clariſſimis diſciplinarum doctoribus con-

ferri poſſum, tradendæ ei facultati præfecerit, in qua de maximis rebus agitur, quibus tanquam præcipuis fundamentis Reſpublica nititur, quum eis ſacrorum omnium, & Sacerdotij Jura ſanctiſſima, & utiliſſima contineantur. At quemadmodum tam ſingulare, tamque præſtans munificentiſſimi Regis beneficium majus eſſe cognoſco, quam ut ei pares gratias habere queam, ita dabitis veniam, Auditores, ſi de optimi Principis æternis laudibus, quas dicendo haud conſequi poſſem, nihil dixero, ut ad rem ipſam, cujus negotium mihi datum eſſe videtis, ſtatim digrediatur oratio; in qua non quis ego ſim, aut quid efficere poſſim, conſiderandum vobis eſt, ſed quàm neceſſarium Reipublicæ hujus diſciplinæ ſtudium ſit, quo nobiliſſima Juris publici pars explicatur. Quare tota ad vos, Juris Candidati convertetur oratio mea, vos rogo, quæſoque, ut me attentis animis audiatis; nam ſi eam eſſe Pontificij juris neceſſitatem vobis oſtendero, quam demonſtraturum me eſſe polliceor, ſic ejus diſciplinæ deſiderio raptum vos iri mihi perſuadeo, ut neque prudentiſſimi Regis auctoritati, qui hæc ſtudia impenſiſſimè fovet, neque parentum, & amicorum expectationi, neque majorum veſtrorum exemplis deinceps vos defuturos eſſe confidam.

Haud tamen vereor, Auditores, ne vos, quod aliqui impiè faciunt, & imperitè, omnem

nem vim Juris à ſacrorum Comitiorum receptis ſanctionibus, & Pontificum placitis abjudicetis; quum tot, tantiſque præceptis ſumtis ex ſacrorum Conciliorum decretis, Pontificumque reſcriptis, Chriſtianorum ſocietatem uti, regique videatis. Illud dico nullam omnino legem, nullum Jus eſſe poſſe, cujus notitiam haberi Reipublicæ non expediat. Quid enim tam abſurdum, & tam rationi contrarium aut intelligi, aut excogitari poteſt, legem eſſe, cui parere neceſſe ſit; qui autem vim legis teneat, interpretetur que, nullum eſſe oportere? Quomodo Magiſtratus jus dicent ex legibus: ſontes pœnam metuent, qua deterreantur ab improbè factis: boni quid ſequi debeant, non ignorabunt, ſi nemo ſit, qui earum vim percipere debeat? Aut igitur nulla lex erit, vincula ſocietatis humanæ potiſſima diſſolventur, totum jus, quod ad ſacra pertinet, tolletur penitus, & abrogabitur, ſacrificiorum, Sacerdotij, rerum omnium divinarum uſus, ritus, memoria negligetur, & obſoleſcet; aut Jus Pontificium ſciamus neceſſe eſt, ad cujus exemplum, & normam Reſpublica componatur. Rectè ſanè, ſapienterque Lycurgus, quum omnia Lacedæmonijs jura dediſſet, vetuſtiſſimorum exemplo mortalium ſanxit, ne ſeveriſſimæ leges ſcriptis mandarentur, ſed illas cives memoriâ cuſtodirent, quo facilius converterentur in

mores; nihil enim referre putavit divinus homo, utrum populus leges haberet, quas ignoraret, an incerto jure uteretur, rituque ferino ſylvas, & ſaltus incoleret. In omni quoque bene conſtituta Republica, id vel cautum ſanctionibus eſt, vel moribus ipſis invaluit, ut leges omnes, & jura promulgentur, & non modò ſint, qui eas legere, & addiſcere poſſint, verùm etiam qui jus interpretentur, & tradant, ne civilis ſocietas tam neceſſario, tamque firmo præſidio carere videatur: unum dumtaxat Jus Pontificium eſſe dicemus, cui quum obedire teneamur, quo quum Sacerdotij, & ſacrorum jura contineantur, tamen non neceſſarium, non addiſcendum, non diligentiſſimè memoriæ commendandum, imò negligendum, ſpernendumque arbitremini?

Negant quidam Pontificium jus ad civilem ſocietatem ullo modo ſpectare, negant publicum civitatis reſpicere ſtatum. Sed quo in loco id affirmare non dubitant? in hac urbe, in hoc præclariſſimorum virorum conventu, & corona, in qua quum omnes ſint, qui varia polleant eruditione, & doctrina, illud tamen tanquam præcipuum ſibi plerique vindicant, ut majorum ſuorum exemplo de Juris Pontificij percipiendi neceſſitate optimè ſentiant! At primùm ab iſtis quæro, nullam nè civilis juris, cujus cauſsâ hæc dicunt, eſſe neceſſitatem agno-

ſcant

ſcant? Neminem inquiunt, tam amentem eſſe poſſe, qui non fateatur, jus civile, & leges, quibus utimur, non utiliter modò, ſed neceſſariò quoque junioribus tradi. Si enim nemo eſſet, quem eas doceremus, brevi non ſolum in tribunalibus ſolitudo, vaſtitas in civitate fieret, verum etiam æqui, & boni ignoratione, juſtitia à privatis domibus, foro, delubris, urbe, imperio cum cæteris virtutibus exularet, quum bonæ cauſſæ juſtus Judex, innocenti defenſor, legibus vindex, humanæ ſocietati civile vinculum, quo omnes obſtringimur, & concordes vivimus, quadam veluti amicitiâ, & caritate conjuncti, deeſſet: improbis nocendi aditus patefieret, injurijs, cædibus, flagitijs omnia redundarent, nihil inviolabile, nihil ſanctum reperiretur, quod furor, audacia, dolus, aſtutia non expugnaret, violaret, ſubiret, invaderet, & divina, humanaque omnia permiſceret.

Quòd ſi tantam juris, & legum, non utilitatem modò, ſed etiam neceſſitatem eſſe dicunt, quanta vel mente comprehendi, vel explicari vix poſſit; quis veſtrum dubitabit, Auditores, quin cum primis neceſſe ſit, ſacrarum doctrina rerum juvenes inſtrui, ac informari? Nec enim Pontificium Jus à reliqui civilis Juris veluti ſocietate, & conſortio eſt abſtrahendum, quaſi diverſæ ſectæ, vel diſciplinæ duabus illis voculis contineantur

tur. Quum enim non à quo rogatæ, vel quo modo latæ ſint leges, conſiderandum ſit, ut earum diverſitas intelligatur, ſi ejuſdem populi conſenſu pro utilitate Reipublicæ promulgentur, omnibus profecto compertum eſſe poterit, quum Jus utrumque communibus Chriſtianorum commodis, ſalutique proſpiciat, Jus potius unum id eſſe, quod ex diverſis conflatum præceptis, inſtitutiſque, quaſi ex multis fontibus flumen promanaſſe videatur. Nam ita à Chriſto Deo, ac Servatore noſtro res Chriſtiana conſtituta eſt, ut pace nempe ſtaret, concordiâ ſemper, & caritate creſceret, & unanimi populi conſenſu firmior permaneret. Unde Johannes, cui auream ob eloquentiã Chryſoſtomo nomen fuit, vir ut dicendi genere, ita vitæ ſanctimoniâ præſtantiſſimus, recte dicebat, nihil de civili ſocietate detractum per Chriſti legem, nihil demtum de veteri hominum, & communi conſuetudine vitæ; præcepta tantùm præſcripta, quibus virtutes fierent ſanctiores, hominesque non metu pœnarum, & cruciatuum, ſed pulchritudine ipſa virtutis ad honeſtatem invitarentur. Quamobrem humanum genus, quod amicitia, & miti ingenio ſocietatem inivit, in qua legum vinculo tenebatur, ex Chriſti præceptis majus ſibi, multoque validius præſidium comparavit. Quid eſt enim, cui magis proſpexerint humanæ leges, quàm populorum felicitati, quid

eſt

eſt quod ſit ſanciendæ civili concordiæ accommodatius, quàm neque vim, neque injuriam facere, ſcelera odiſſe, amicum juxta, inimicumque diligere, omnes beneficijs, & caritate proſequi, quæ cuncta divino illo, & Chriſtiano Jure ſunt conſtituta? Quod quum totum migravit in Romanum Imperium, ex duabus veluti ſocietatibus corpus coaluit unum, vinculo caritatis, atque virtutis, quam civitatis jure coniunctius. Uni igitur ſocietati, cui idem finis, eadem voluntas, eademque Religio, quis negabit unum quoque jus eſſe ex ſacris conſtans, & civilibus legibus?

Atqui, inquiunt, ex diverſis poteſtatibus humanæ ſanctiones, & Pontificia decreta profluxere; quaſi Romanæ leges, quæ à diverſis, & poteſtate & ordine magiſtratibus latæ ſunt, eandem vim penitus non habuerint. Quid tam diſtinctum priſcis temporibus, quam Ordo ampliſſimus à Plebeio? Nulla auſpicia, nulla ſacra, nullæ dignitates, nullum connubii jus inter eos; quis verò non ſine ſummâ juris civilis ignoratione dixerit, plebiſcita, quæ plebejo Magiſtratu rogante ſciſcebat populus, jus civile non fuiſſe, quod ad ſummum ordinem non pertinerent? Sed & illud, Auditores, providete, ne ſi eam ob cauſſam Pontificium Jus civilis Juris partem eſſe negetis, nullum omnino Jus reperiatur, quod civile ſit appellandum

dum. Juriſprudentia namque Romana, quæ ſeptingentis fermè annis floruit incorrupta, auctoribus priſcis illis Pontificibus in lucem prodiit, in quorum ſacrariis, ac penetralibus abdita, antequam [a) Gn. Flavij Scribæ operâ divulgaretur, originem cepit, & adolevit. Neque enim vetuſtis temporibus de jure reſpondere cuiquam licuiſſe ſatis conſtat, niſi Pontificibus illis, qui jus civile, quod interpretatione cœptum, & auctum erat, tamquam rem aliquam ſacram cuſtodiebant. Sed an putatis brevi temporis ſpatio hanc veterem conſuetudinē tenuiſſe? Centum annorum curriculo hac vivendi ratione uſa eſt Romana Reſpublica, donec Flavius ille reperiretur, qui ſubtractum à Domino librum de legum actionibus pertractantem populo dederit, ut arcana illa Juriſprudentia, quæ tanquam aliquod ex Eleuſiniis myſteriis diu latuerat, tandem publicam lucem aſpiceret. Morem pene dicam veterum illorum tenuere Romani Pontifices, qui plures, & difficillimas quæſtiones ita definierunt, ut magnum Romanis legibus ex hoc noſtro Jure incrementum acceſſerit. Si igitur ſpectemus auctores (liceat mihi, Auditores, profanis ſacra; veteribus nova componere) à Pontificibus jus civile bono publico cœpit, ſi res, quæ pertractantur, etiam ea comprehendit

[a] *Pompon. l. 2. de orig. Juris. A. Gellius Noct. Atticar. lib. 6. cap. 9.*

hendit, quæ ſacra ſunt. Neque, ut hoc probem, aliquis mihi veteribus ex Pontificibus ab inferis eſt excitandus. Quid enim teſtimonio Ulpiani præſtantius, quid evidentius, dum ait, Jus civile, quod aliud publicum, aliud privatum eſt, in ſacris, & Sacerdotibus quoque conſiſtere? Prætereo M. Tullij Ciceronis oratoris clariſſimi teſtimonium, neque mentionem faciendam arbitror earum legum, quæ in Codicem ſunt relatæ, ad ſacra ſpectantes, Antiſtiteſque ſacrorum. Id ſolum, quod contendo, mihi concedatis oportet, quum Juris civilis ſumma neceſſitas ſit, & eiuſdem potiſſima pars Jure Pontificio comprehendatur, maximam eſſe quoque addiſcendi Juris Pontificij neceſſitatem.

An verò hæc tantum ad eos pertinent viros, qui procurandæ religioni operam omnem impendunt, & quemadmodum plerique rerum prorſus ignari cenſent, à Juriſconſulto ſunt aliena? Immò ſine horum cognitione, neque eum Juriſperitum exiſtimem, qui vel totum id, quod priſci legum Interpretes, & Principes omnes, vel conſtituerunt, vel litteris aliâ de cauſsâ conſignarunt, intelligat, teneatque memoriâ? Egone illum prudentem exiſtimarim, cui doctrina deſit ea, quâ de ritu Matrimonii, de ipſo inhibendo, dirimendove, de divortiis, repudiiſque, de religioſis funerum, de aſylorum jure, de immuni-

tatibus

tatibus templorum, ac miniſtorum, ut reliqua ſanctiora præteream, conſulere, judicare, jura reddere debeamus? quæ omnia de priſco jure detracta novis, ſacriſque legibus melius, uberiuſque ſunt conſtituta! Audivimus ipſi nos, audivimus (proh pudor ætatis illorum, & muneris!) viros apud ſuos, qui à nobis, non remotiſſimi ſunt, ſummæ opinionis, & famæ, quibus non imprudentibus talia ſæpè exciderunt, quorum & juniores, & vix Juriſprudentiæ rudimentis imbutos, ſummopere puduiſſet. Hos ego Juriſconſultos: hos ſapientes appellem? his bona, famam, vitamque civium credendam opiner?

Quod ergo, Deus immortalis! Ius profitentur? id quod civile videri volunt, quum tamen partem ejus ſanctiorem, & utiliorem abjiciant, quaſi peregrini Juris, ac barbari! At ſi privatarum legum ſtudium adeo neceſſarium credunt, ut nihil magis eſſe videatur, quid de publicis exiſtimare non debent? ſi jura quæ de profanis, abjectiſve rebus non rarò diſponunt, maximo in pretio habere ſolent, cur ſacra, & divina contemnunt? An plurimi duci debent hęreditatum, dotium, ſtillicidiorum, fontium, fluminum (nequid aliud humilius proferam) leges; negligi verò quæ pertinent ad Sacerdotia, Sacramenta, Sacrificia, auguſtiſſima, ſanctiſſima, & maxima totius Religionis, ac Reipublicæ fundamenta? An Severi, Caracallæ, Diocletiani, Papiniani,

Paulli

Paulli, Ulpiani ſanctiones, & reſponſa plurimi fient; Nicænorum, Chalcedonenſium, Byzantiorum Patrum; Cypriani, Athanaſii, Auguſtini, Leonis, Leonique ſimilium decreta, & ſententiæ parvi pendentur? Quæ civilem ſocietatem reſpiciunt, quâ ſolum ab animantibus feris uſquequaque diſtinguimur, toto pectore complectemur; nihili verò ducemus, quæ ſanctorum reſpiciunt communionem, quâ ab Hęreticorum, & Judęorum conciliabulis, quâ ab Ethnicorum, & Barbarorum coetu dividimur, à Religione ſuperſtitio diſterminatur, à pietate ſcelus, impietas ſegregatur?

Sed ſi in omni ſocietate civili ea magis ſunt retinenda, quæ publicam tranquillitatem, ſalutemque reſpiciunt, quàm quæ privatas copias, & fortunas, eo magis neceſſarium Pontificium ius eſſe conſtabit, ſi ſacris legibus æquabiliter conſtitutis, non modò florentem, atque beatam, verum etiam ſalvam, incolumẽque Rempublicam habeamus. Quoniam verò duabus poteſtatibus populus regitur, ſacrâ, atque civili; tum demum ſalvæ res erunt, ſi utraque certis finibus concludatur, qui a Chriſto inter utramque ſun conſtituti, neque altera vim patiatur ab alte râ, neque concordia illa divini amoris afflatu firmanda peſſimo publico diſſolvatur. Nulla enim capitalior peſtis humano generi poteſt accidere diſcordiâ omnium poteſta-

teſtatum, quâ pacis ſtatus convellitur, & ſalus publica periclitatur. O dolendam, Auditores, temporum illorum memoriam, quibus vel hujus diſciplinæ ignoratione, vel illorum qui propria auctoritate abutebantur, nequitiâ perniciosæ illæ controverſiæ ſunt agitatæ de ſacrorum poteſtate Antiſtitum, quæ in diverſa totam traxerunt, & lacerarunt Eccleſiam! Nonne quidem græcas regiones hæc exitiabilis peſtilentia ita pervaſit, ut cum Byzantino Antiſtite, tota demum a verâ, concordique Chriſtianorum omnium ſocietate Orientalis plaga deſciſceret? Nonne ſæpiùs his controverſiis pacem regnorum everſam, Jura ſanguinis perturbata, ferro ignique vaſtata omnia, atque conſumta, Rempublicam civili maduiſſe ſanguine, vel legimus, vel audivimus? Unde hæc invecta calamitas, flamma, pernicies, unde tot mala, niſi hæc, quæ diximus, ſtatum Reipublicæ reſpicerent univerſum, niſi hoc jure æquiſſimè conſtituto, tota ſtaret Chriſtiana Reſpublica? Nempe juvat Pontificii Juris arcana cognoſcere: juvat auſpicatorum decreta Conciliorum, ſanctorum Patrum, atque majorum noſtrorum tradita; juvat ſapientiſſimorum Pontificum juſſa, monita, reſcripta perpendere; unde innoteſcat, quibus finibus Sacerdotum dignitas, ac poteſtas terminetur, ne perperam civiles Magiſtratus, quamvis ſummo præditi imperio, in ejus fines irrumpant; neque contrà

Sa-

Sacerdotes, quod eſt omnino civilis regiminis, affectent, arripiant. Quæ igitur major diſciplinæ neceſſitas eſſe poteſt, quàm noſtræ, qua non pervulgatarum rerum doctrinâ traditur, ſed publicarum, maximarumque, quibus ſtantibus, ſtat Reſpublica, & corruit prolabentibus?

At neque illud prætermittendum eſſe putem, ex Pontificio Jure regulas omnes eſſe petendas, quibus corruptiſſimi Chriſtianorum mores ad juſtitiam dirigantur, ne tanquam incerti vagemur in tenebris, aut voluptatum dulcedine illecti feramur ad vitia. Et quidem, ſi verum fateri volumus, Auditores, nihil eſt magis Chriſtiano homini neceſſarium, quàm ſeſe componere ad majorum exempla, ut in hac vitâ, in qua, velut hoſpites ſumus, a viâ virtutis, & æquitatis ne deerremus. Ita enim naturâ comparati eſſe videmur, ut quamvis honeſtatis cauſsâ omnia nos facere debere profiteamur, tamen perturbationibus animi ſæpius inducamur in fraudem, & quod bonum ſit, in corporis voluptate, & doloris amotione perquiramus. Unde ſemper in deteriora prolabimur, exundante quotidie vitiorum colluvie, & rationis lumen, quo rectum ſequi debemus, & ad honeſtum perveſtigandum adducimur, etſi non extinguatur, ita tamen culpâ debilitatur, ut vix quid bonum ſit, præ illis, quæ inſunt in animo errorum tenebris, diſcernere queat;

ſequi

ſequi certe non poteſt, niſi gratiâ illius fretum, qui omnium dominator rerum, cuncta hæc gubernat, atque diſponit. Ut enim ab initio juſtitiâ, atque innocentiâ præditus homo, hanc primum ſuaviſſimam lucem aſpexit, cujus uſuram execrando flagitio ſibi, poſteriſque ſuis eripuit; ſic vitiorum radicibus, quæ nobis orientibus naſcuntur in nobis, ad nequitiam ita inclinamur, ut eam etiam amplectamur; ita amplectimur, ut tanquam Sirenum cantibus, cæteris neglectis virtutis officiis, ſomno ſepulti jaceamus. Quamobrem ſapientiſſimus inter Philoſophos Thebanus Cebes humanam vitam, quaſi coloribus exprimens, Fraudis poculum nobis in hujus vitæ curriculum deſcendentibus propinari dicebat; unde malorum omnium originem, tanquam venenum aliquod imprudentes ebibimus. Qui igitur in tanta errorum caligine, & vitiorum ſylva, in tanta perturbationum, & affectionum confuſione certum quid ſequi putaret, non aliter quidem erraret, quàm qui ſine nauticæ artis præſidio, & adjumento inter procellas, & ſcopulos navim regere, & curſum tenere profiteretur. Quapropter enitendum nobis, & curandum diligentiſſimè, ut eos ſequamur duces, quibus in unum coëuntibus divinum doctrinæ lumen affulſit, vel Dei munere regimini morum præfecti, tantam juſtitiæ, & ſapientiæ laudem promeruerunt. Quorum præcepta, quæ ad ſanciendam

dam pertinent honeſtatem, in qua diſciplina traduntur utilius, quàm in hac noſtra, in qua tot Conciliorum, Pontificum, Patrum monimenta, & regulæ ad vitam, ad mores, ad virtutem pertinentes habentur, & enodantur. His enim maiorum noſtrorum imitamur exempla, bonitatem reſpicimus, eorum, penè dixerim, vitæ conſuetudinem totam effingimus, &, quod majus quiddam eſt, atque divinius, illorum animus caritatis plenus, & innocentiæ in nos ipſe transfunditur, unde corporibus fato cedentibus, Chriſtianæ Reipublicæ ſpiritus, qui ſuo quodam, perpetuo, & interiori motu cietur, permanet idemtidem, & cunctis ſanctiſſimè providet, & moderatur. Si igitur hoc jure diriguntur errantes, mens illuſtratur, exemplis Patrum èvadimus meliores, nihil ſane magis humano generi neceſſarium Pontificio jure poterit inveniri.

Demus igitur operam ſacris legibus, ex quibus civitatis fauſtitas pendet, & incolumitas, quibus vita civium, & Chriſtianorum mores convertuntur in meliora. Quod ſi plus auctoritati, quam rationibus tribuendum eſſe putetis, auctorem huius ſententiæ longe graviſſimum Gregorium nonum Pontificem Maximum habetis, qui ſummam Pontificij juris addiſcendi neceſſitatem agnovit, & eius uſitatiſſimam partem, ad ſtudioſorum utilitatem in quinque digeſſit libros, quorum in

Academia,& in foro, quæ auctoritas ſit, non ignoratis. Sed an Innocentium III. Bonifacium VIII. Clementem V. Gregorium XIII. alioſque Pontifices, ut divinâ, quâ pollebant, dignitate, præſtantes cæteris, ita ſapientiæ nomine maximos, diverſum ſenſiſſe creditis, quum omnes pro virili ſua tam neceſſariæ conſuluerint diſciplinæ? (a) At quid ego memoriâ vetera repeto? An Victore Amedeo Rege auctorem quærimus graviorem? Quid aliud medius fidius cenſuit ille, qui optimorum memoriam Principum virtute ſuperavit, dum hoc bonarum artium domicilio, tanto ſumtu, tantâque magnificentiâ reſtituto, ex privatis laribus in hanc publicam celebritatem jus Civile tranſtulit, & Pontificium? An hæc ſtudia, quæ nunquam corrupta in hac floruere ditione,privatim non excolebantur à pluribus, & præſtantiſſimis viris? An veteribus illis Fabris, Vaudis, Belloniis, Germoniis, Gubernatiis, quorum memoriæ ex hoc ipſo loco æternum, atque præclarum ab aliis diſertiſſimis viris datum eſt laudis teſtimonium, hæc ætas complures non extulit quàm ſimillimos? O divinam Regis pace belloque maximi providentiam. Cenſuit Princeps optimus, ac prudentiſſimus neceſſarias Reipublicæ diſciplinas publico quoque indigere præſidio; cenſuit eos, qui his ſtudiis operam navant, Regio digniſſimos patrocinio. Quare

nolite

[a] *Vid. cap. ignorantiâ cap. nulli diſ. 38.*

nolite, Juvenes, tam magnum,& immortale invictiſſimi Regis beneficium contemnere, qui tot bellis conſectis feliciter, tot victoriis de potentiſſimis gentibus reportatis,hanc vobis patriam integram, incolumemque ſervavit, vos ſalvis parentibus ſoſpites reddidit, à fortunis veſtris, opibus, diiſque penatibus omnem vim hoſtilem avertit, & parta demum pace hæc vobis otia conſtituit litterarum. Cui nullam, mihi credite, gratiam referetis acceptiorem, quam ſi Reipublicæ, ad cujus felicitatem omnes ejus conatus diriguntur, his pacis artibus vos præſtiteritis utiliſſimos. Ita igitur neceſſariis his diſciplinis operam date, ut digni maioribus veſtris, digni hac patriâ exiſtimemini, digni demum, qui ab Auguſtiſſimo, & Invictiſſimo Rege Provinciarum, Civitatumque regimini, vel Sacrorum curæ præficiamini.

*Dixi.*

# IN LUDOVICI GENTÆ COOPTATIONE

## ORATIO SECUNDA.

*Habita X. Calendas Aprilis M. DCC. XXIII.*

COnventus hic veſter P.C. ornatus, & auctus circumfuſâ lectiſſimorum juvenum multitudine, & recens eorum, qui ante me dixerunt, ſplendor, & gloria altè infixa mentibus veſtris me dicere inſtituentem ab ipſo principio, & quaſi limine orationis ſummovent, ac repellunt; quòd illis hodie me facere verba conveniat, quibus admirantibus ac plaudentibus, præclari complures adoleſcentes a diſertiſſimis viris adeo laudati ſunt, ut ad immortalem potius evecti famam, quam hac donati ſtudioſis debitâ laureâ videantur. Quæ namque ſpes mihi affulgeat, poſſe me unquam animum veſtrum, delectare, vel pro loci, ac muneris dignitate ita diſſerere, ut vobis feciſſe ſatis putem, ſi cuncta in illis maxima fuerunt naturæ artiſque præſidia, mihi vero durioribus, incomtiſque ſtudiis valde occupato nulla hæc, vel ſummè jejuna? Ergo quum omnes, qui hactenus ita ſtudia litterarum ſunt proſecuti, ut eis laureatis ex Academia in publicum prodire licuerit, meritis virtutum præconiis ſint affecti, te ſolum, Ludovice Genta, quòd ſummâ

ope,

ope, & infinitis propemodum laboribus dignus habitus ſis, qui in ampliſſimum doctiſſimorum virorum numerum coopteris, taciti præteribimus quaſi obſcurum in Lyceo juvenem, & penè dixerim illaudatum? Siccine Taurinenſis Academia, quæ optimos quoſque juvenes inſigni laudum teſtimonio ſemper proſequi conſuevit, in te uno, quem omnes ſuſpiciunt æquales, majores laudibus extollunt, a ſuo novo inſtituto, & priſco more deflexit? An quòd alii ſortiti ſunt me homine haud quaquam in his artibus exercitato viros ad dicendum inſtructiores, & ad augenda, & illuſtranda cujuſque præclara facinora natos, excultoſque, abditæ virtutes tuæ, & incultæ jacebunt? At quanquam hoc dederis differētis infantiæ, ut neque ornatè ſatis, neque eleganter, ut cæteri, dicat; negaveriſne bonis omnibus, ut breviter, ut ſine ornamentis, & quaſi detracta veſte, animi virtutes exponamus tui? Ita profecto P. C. fiet; nam animi dotes clariſſimi Candidati, ſine ullâ meâ operâ, decoras, ornataſque ſatis ipſæ ſe demonſtraverint. Nec eſt quod totum ejus vitæ curriculum mente percurrere debeamus; namque anni tantum ſpatium complectetur Oratio, quo anno ante oculos veſtros in Academia, in foro Ludovicus Genta frequenter obverſatus eſt; ut quod Poëtis in deſcribendis Heroum factis fixum eſſe dicitur, ut anno ſolum finita geſta comprehendant, in hujus

virtutibus ſine fuco, vel arte narrandis translatitium eſſe videatis.

Ubi primum hujus Academiæ inſtauratæ fama longè, latèque pervagata exterorum animos partim admiratione, partim ſui deſiderio complevit, nihil Ludovico Gentæ fuit antiquius, quam ut ex omnibus ſeſe eriperet impedimentis, & infinitæ illi, quâ tenebatur, diſcendi cupiditati ſatisfaceret. Igitur rogare parentes primùm, dein acrius etiam inſtare cœpit, ne ſe novis diſciplinarum ornamentis, ac peregrinis cognitionibus, quibus promendis Auguſtæ Taurinorum Academiam reſtitutam fuiſſe fama erat, jam inhiantem, ſpe fruſtrari permitterent; & modo fructus doctrinarum, modo utilitatem Regii patrocinii, ſub quo ſtudioſi futuri dicebantur, modo exantlatos ante labores Romani itineris commemorare: quo tandem effecit, ut Pater Filii, quem unice diligit, amantiſſimus omnium rerum ad iter neceſſariarum illi copiam ſuppeditarit. At Ludovicum è patriâ jam diſceſſurum aliis alia ſupervenientia impedimenta in patrio detinuere ſolo, donec peſtilentia illa, quæ totum terrarum orbem terrore replevit, Maſſiliæ nata eſt, ob quam itinera cuſtodibus munita, commercia interrupta, omneſque populi ſuis regionibus clauſi ſibi ab aliorum hominum colloquio, aſpectu, & propedicam nomine metuebant. At ſtudioſiſſimum juvenem, ac

doctri-

doctrinarum appetentiſſimum nihil hæc morata ſunt magis, quam impavidos, ac fortiſſimos viros flectere unquam poſſint levibus animis injecta terricula; nam perruptis omnibus moris, & graviſſimi itineris laboribus, ac periculis ſuperatis, eò advolavit, quò ſummo contenderat ſtudio. Hinc orta juvenis præſtantiſſimi gloriæ primordia, quæ ad ejus nominis valitura ſunt memoriam ſempiternam. Nulla enim delebit oblivio, nulla vetuſtas, Ludovicum Gentam difficillimo tempore, medio ardore Gallicæ peſtilentiæ, inter milites locorum cuſtodes, ſtudiorum cauſſâ è patriâ huc emigraſſe; huc verò ubi pervenerit, ita in propoſito perſtitiſſe, ut nullus fuerit labor, quem non ſubire voluerit; ita demum ſubiiſſe, ut omnium ſtudiorum non ſemel, aut bis, ſed pluries, plurieſque ſummâ cum laude, & nominis celebritate periculum fecerit.

Nihil quidem illuſtrius, & homini glorioſius accidere poteſt, quàm ut virtutis, & ſapientiæ ſic capiatur amore, ut nequid intentatum relinquat, quod ad illam acquirendam, & jure ſuo veluti poſſidendam conferre poſſe videatur. Hæc enim ſola eſt, qua ut animo, & mente à brutis diſcernimur animantibus, ſic à cæterorum hominum ſejungimur numero; eâque fit, ut reliquorum mortalium, diuturnitate temporis memoriâ letho datâ, noſtra læta, virenſque apud poſteros

ſteros floreat. Hac ſpe, quâ meliores, nobiſque ipſi præſtantiores evadimus, plerique omnis ætatis, ac generis homines, rerum abiectâ curâ domeſticarum, incognitas peragrare terras, nova terrâ marique ſubire pericula non dubitarunt, ut patriam inde novis artibus, ac inventis excolerent. Hoc modo mortalium ſapientiſſimi Græci Indiam, Ægyptum; Romani Græciam; Barbari Italiam perluſtraſſe perhibentur, & inde nobiliſſimam ſecum ipſi tuliſſe doctrinarum partem, quæ ſata in peregrinis terris adeo coaluit, ut novi virtutum ſurculi nihil de dignitate, ac præſtantia, unde deducti fuerant, plantæ concedere viderentur. Ita nempè perpetuò creditum eſt, ſapientiam eſſe veluti mercem, quę ut à remotioribus Orbis terrarum plagis ad nos delata eſt, ſic pretioſior habeatur; videntur namque minus in ſe pretii continere non conquiſitæ longius diſciplinæ, vel quod otium, libido, rerum affluentia familiarium multum noſtræ intercipiat diligentiæ, vel quod illarum facilis acquiſitio ſæpè vertitur in contemtum. At Ludovico Gentæ quàm eximia, quàm antiqua diſcendi cupiditas! Romam primùm non animi gratiâ, aut ſtudio viſendarum magni quondam Imperij reliquiarum, conſiderandique buſti Romanæ potentiæ, ſed percipiendæ Jurisprudentiæ cauſsâ, commigravit, quæ in urbe omnium principe & nata, & ad ſummum

cre-

creditur evecta faſtigium. At quæ ibi geſſerit, cui rei aſſiduam die, noctibuſque impenderit operam, ut deinde ob continuas vigilias, ac numquam intermiſtum quieti laborem in ardentiſſimam febrim, diuturnumque morbum inciderit, haud quaquam commemorabo; excedunt hæc à propoſitis finibus Orationis; quam mihi legem ab initio dixi, hanc religiosè ſervabo. Id ſolum P. C. conſiderate, eo tempore Ludovicum Gentam non de adventu, deque ſtudijs cogitaſſe, ſed in hanc urbem inter militum arma, inter pericula à cive magis, quàm ab hoſte timenda, inter teterrimæ mortis imagines advolaſſe, quo tempore, præterquam de ſalute deliberare rarum, à parentum divelli complexu difficile ſit, iter arripere grave, evadere periculoſum.

Sed hæc fuere ſtudiorum illorum, quæ ſummo deinceps niſu perfecit, imperfecta quædam initia. Quis enim diligentius rem optatiſſimam aggreſſus eſt, quàm Ludovicus Genta ſtudia literarum? Quis ardentius formam viſu pulcherrimam adamavit, ſtuduitque conſtantius adamatæ, quàm Ludovicus Genta Juriſprudentiæ? Quis unquam majores natu, à quibus lucroſam ſperet hereditatem, impenſius coluit, quàm Ludovicus Genta ſapientiſſimos viros, & omnium virtutum genere commendatiſſimos? Omnium quidem caput rerum, quæ ad profe-

ctum

ctum pertinent adoleſcentium, id eſſe P. C, judico, ut optimos quoſque, ac doctiſſimos obſervare, frequentare, ac perpetuo lateri eorum velut hærere debeant. Ita namque quotidiano exemplo, familiarique ſermone ſublimioribus diſciplinarum notionibus aſſueſcunt; ita ſapientiæ præcepta facilius, uberiuſque radices emittunt. Quemadmodum enim cominus emiſſa jacula fortius, altiuſque feriunt, quam ſi eminus jaciantur; languent enim paulo remotiores ictus; infirmiuſque corpora petunt, ac ſubeunt, ita ſapientum doctrina validius mentem occupat, ſi amicâ quadam conſuetudine, atque domeſticâ ſic effundatur, ut integra communicetur. Vix enim reperias, qui doctiſſimus quum evaſerit, eruditorum virorum non ſit ſocietate, & conſortio delectatus. Quid enim Socratis cum Platone, hujus cum Ariſtotele, Ciceronis cum Cœlio, Papiniani cum Paullo, Ulpiano, & pluribus alijs familiaritatem, amicitiamque commemorem? Non enim longius à rerum noſtrarum memoriâ nos retrahere cogitationes oportet, quàm ſit neceſſe. Nonne Fabri noſtri cum Antonio Manutio antiquæ Taurinenſis Academiæ gloriâ, & ornamento, vitæ conſuetudinem perſpectam habetis? Nonne Bellonij eruditiſſimi viri cum Vaudo omnium elegantiſſimo, atque acutiſſimo, conjunctionem plurimam fuiſſe perhibent,

à

à quo & illum multa ſurripuiſſe fama eſt, & pro ſuis etiam promulgaſſe, quam ego rem à Bellonij doctrinâ, & probitate, à Vaudi ſtylo alienam eſſe contendo? At quos Ludovicus Genta, & quantos excoluit viros, quibuſcum conjunctiſſimè vixit! Non mei nunc eſt inſtituti P. C. omnes enumerare. Unus tu, quem e numero ſummorum, & optimorum virorum nec ipſa, etſi maximè conetur, ſegregare poteſt invidia, honoris cauſſa nominabere, M. Antoni Comes Clarette; cujus ego, quum doctrinam conſidero, aliquem mihi intueri e priſcis Juriſprudentibus videor, quum morum innocentiam, & probitatem Catonis alicujus, vel Ariſtidis integritatem, juſtitiamque, quum officium erga me tuum atque benevolentiam (ſi unum excipio) alterum te parentem rectè appellarim. At quod ad nos attinet, ſi maturè vitam Superi non ademerint, vel ſcripta noſtra aliquo in pretio apud poſteros fuerint, numquam præſens ætas, atque futura de tuis laudibus, numquam de egregijs in me meritis conticeſcet. Eo igitur viro quum ſit Ludovicus Genta uſus perfamiliariter, quum hujus monita, dicta, probè integréque ſervaverit, illique non civitatis modò, ſed amicitiæ, ſed affinitatis, ſed ſanguinis vinculo conjunctiſſimus fuerit; quid mirum, ſi quæ ad ſapientiam, quæ ad honeſtatem, quæ ad morum candorem, quæ ad Juris divini, humani-

manique pertinent cognitionem, tam multa expreſſerit, hauſerit, & ex illo in alios diffuſa creverint, redundarint?

Ad hæc non inania ſtudiorum proludia quantum laboris adiecerit Genta, ſi plane dixero P. C. dies prius me deficiet, quàm omnia comprehendere valeam. Quoties enim ex vigilijs antelucanis ad concubiam noctem ille ſtudia protraxit vix interrupta? Quoties ex Academia plurium ſtudioſorum catervâ ſtipatus migravit in forum? Ita namque Ludovicus Genta ſe ſe Academicis exercitationibus mancipavit, ut nihil relinqueret, quod ad amicorum, quod ad familiarium, quod ad clientum, quorum multos adoleſcentis fama pertraxerat, neceſſitatem, & commodum attineret. Virtutum P. C. hæc illa ſunt fœdera, quæ in adoleſcentibus ſæpe deſideramus, quos ita ſtudijs Juriſprudentiæ operam dare convenit, ut non obliviſcantur civium ſaluti, & utilitati ſe potiſſimum debere conſulere; hæc verò ita proſequantur oportet, ut ne præproperâ quadam cupiditate juvandi ſtudia nimis cruda in forum emittant. Quemadmodum enim Academicis exercitationibus ſemper addictus civis eſſet reipublicæ non neceſſarius, ita qui ſpe celeris vel lucri, vel gloriæ vix Juris Doctoribus, ac Magiſtris à limine ſalutatis, ex Academia in curiam ſe ſe proriperet, hunc arbitror non modò regno inutilem eſſe, ſed

etiam

etiam multorum ſaluti perniciosſum. At quàm diſſimilis Ludovici Gentæ fuerit conſuetudo ex hoc P. C. cognoſcite, quòd ea ſic conjungere conſuevit, ut quum omnia forenſis gloriæ cauſsâ faceret, tamen nullus in Academiâ repertus ſit, qui eum diligentiâ, ingenio, exercitatione præſtaret. Alios namque vidimus integro quidem anni ſpatio in Academico pulvere ſic deſudantes, ut nihil addi eorum laboribus poſſet; cæterum feriarum ſaltem tempore honeſtis voluptatibus, recreandiſque abſumtis diuturnâ curarum ſerie viribus ſtuduiſſe. Indulgendum quippe cenſebant aliquid tempori, aliquid etiam adoleſcentiæ tribuendum, quæ ætas quum hominis florentiſſima ſit, neſcio quid etiam remiſſionis, ac laxamenti ſibi poſcere videatur. Dandum quoque putabunt aliquid neceſſariæ corporis quieti, atque animi tranquillitati, ut iſte vacuus aliquando, liberque curis ad alias deinde ſuſcipiendas, & ſubeundas promtior eſſet alacriorque. Quum ergo cunctis ferme ſtudioſis ex urbe dilapſis, forū ſileret, quieſceret Academia, omnes Autumni amœnitate, ac dulcedine caperentur, ſolum vidimus Ludovicum Gentam valetudine non firmâ, ore pallentem, ac longo ſtudio velut enectum, ſolum Juriſprudentiâ, ſolum literis occupatum. Solus nempe Ludovicus Genta, quem graviſſimorum virorum exempla, quem anni tempus jucundum

dum, & delectabile, quem amicorum monita, vires attritæ, ſanitas imbecilla non commovent, animi reſpuit oblectamenta, obterit voluptates, ludum, jocum, convivia, ruſticationes nihili facit, ſtudio, labore, vigilijs omni modo, omni tempore delectatur.

Quid amplius de adoleſcentis pertinaci labore, quid de curis addiderim? An forte ſilente ſchola, & fori jurgiis conſopitis, aliquam Gentæ illarum partem non ſponte remiſſam, at detractam tempore cenſeatis. O Juvenis diligentiſſimi induſtriam ſingularem! Obſeratis Academiæ foribus, tacente voce Magiſtri, non Academiam ipſam deſiderat Genta; ipſe namque optimus doctorum, quos audierat, imitator ſe pluribus diſcendi cupidis adoleſcentibus ducem præbet, ac præceptorem. Illis civilis Juriſprudentiæ, illis Pontificij Juris doctrinam, quam hauſerat, & quæ jam in ipſo radices altiſſimas egerat, enodat, & explicat, commentariolis quoque illuſtrat, enucleat. Quæ Juvenis præſtantiſſimi ſcripta, Deus immortalis, quanto in pretio apud tyrones ſunt! Eum maxime ad primum in Juriſprudentia gradum facile pervenire poſſe confidunt, ad quem commentaria Gentæ pervenerint. Hinc mirum eſt P. C. quam multos ille timentes erexerit, dubios confirmarit, deſides excitarit, fregerit obſiſtentes. Quantum nempe

com-

complures in literis profecerunt, quæ ſunt illi ab hoc Gymnaſio præmia conſequuti, quot hæc Academia ex Gentæ ſodalibus habet optimæ ſane indolis candidatos, hæc omnia ſunt, quæ unius Juvenis ſtudio, laboribus, diligentiæ accepta referre debeamus.

Multa quidem de Candidati clariſſimi ſollertiâ, ac virtute dicenti longe plurima ſunt prætereunda, ut aliquem tandem exitum habere videatur Oratio. Quis autem cuncta narraverit, quæ hoſce labores exceperint, ingenii, virtutiſque pericula? Nemo P. C. ex tam multis, qui ſummâ cum laude præſtantiſſimos doctores hactenus audiverunt, vel plura vel majori cum gloriæ acceſſione ſollertiæ, ac doctrinæ edidit experimenta. Quis enim, majorem ſibi comparavit famam, quàm publicis illis diſputationibus, quibus Candidatus, & Prolyta renunciatus eſt, ſibi peperit Genta? Cujus voce frequentius hæc perſonuit Academia, quàm Gentæ diſſertationibus, & argumentis? Qui circulus, concio, conventuſque publicus fuit, in quo Gentam non viderimus diſputantem? Mitto reliqua, mitto ea, quæ vobis præſentibus, data ſunt, diligentiæ, artiſque ſpecimina. Audiſtis P. C. eum hodie diſſerentem, audiſtis ſententiarum pondus, copiam, ſoliditatem, acumen. Nam quæ privatis interrogationibus edidit, præteribo libenter, quum vos ipſos P. C. teſtes habeat, & laudatores. Vos præſtantiſſimi Candidati

vir-

virtutes, vos doctrinam ad cœlum tollere conſueſtis, vos privatâ illâ interrogatione, qua Ludovicum à ſtudiis miſſum poſtea declaravimus, & Laureæ, & Collegii honore digniſſimum cenſuiſtis. Quam de ſe captam opinionem tantum abfuit, ut ſecundâ interrogatione, quæ Regiâ lege præſcripta eſt, minuerit, ut etiam tribus ab illo reſponſis acceptis, cæteri Patres ab interrogando temperarent, qui honos poſt reſtitutam Academiam, præter Gentam, tributus eſt nemini. O præclaram Ludovici Gentæ apud doctiſſimos viros opinionem! Tanti videlicet pauca ex ore Gentæ valent apud ſeveriſſimos Judices, Cenſoreſque virtutum, quanti ſatis multa aliorum vix æſtimantur. O dignum antiquiſſimæ ſanè familiæ & germen, & lumen! Quam ego dum conſidero, neſcio an magis ab illis, qui pace belloque rempublicam geſſere, viris exornetur, quàm ex hoc uno acceptura ſit ſplendoris, & gloriæ. Ac ſi quidem mihi datum eſſet, ut eos omnes à Superis evocarem, qui Erigio avo tuo vivo Nicienſem Senatum conſtituebant Septemviri omnes tibi ſanguine conjunctiſſimi, eoſque Senatoriâ togâ indutos in conſpectu veſtro ponere liceret P. C. neſcio an injuriâ hunc juniorem ætate, dignitate minorem, doctrinæ tamen famâ non imparem futurum in eorum numero collocarem. Quid verò illi, qui ſcriptis, ediſque libris, familiam nobiliſſimam illuſtrarunt

runt, dicturi forent, quum eundem ſua viderent exempla jam exprimentem, & promto lætoque animo veſtigia bene, feliciterque calcantem? Quare P. C. quod hunc juvenem ad ampliſſimum Academicorum honorum gradum promovere decreviſtis, id quidem puto recte, atque ordine factum; quod autem me potiſſimum elegeritis, qui donis eum civilibus publico nomine remunerarer, id non ſine ſumma animi mei lætitiâ contigiſſe ſciatis.

FORMULA.

Itaque auctoritate, & auſpiciis AUGUSTISSIMI, ET CLEMENTISSIMI REGIS, ac Reverendiſſimi Procancellarii mandatu aio te divini, humanique Juris doctorem eſſe, eo modo, jureque, quo ex Pontificia, Regiaque formula divini humanique Juris doctores, ac interpretes creari hactenus conſueverunt. Hos propterea libros clauſos, reſeratoſque trado, quo intelligas Juris explicandi tibi factam poteſtatem illorum exemplo, qui priſcis temporibus fiduciâ ingenii, vel Principum auctoritate, vel tranſverſo ambulantes foro, vel ex præcelſo ſolio paratos ſe ſe de jure conſulere volentibus oſtendebant. At quanti apud homines hæc ſint pretia virtutis inde ſignificatur, quòd hoc pileum laureæ nomine decoratum voluerunt, quod honoris genus illis ſolum, more majorum, concedebatur, quibus, cæſis fugatiſque hoſtium copiis, triumphantibus in Urbem introire liceret.

Annuli quoque geſtandi jus addiderunt, quod Equitum, ac Senatorum inſigne erat, & ornamentum, ut nihil eſſet quod ad exornandum virum tractandis Reipublicæ gubernaculis aptum deeſſe videretur. His igitur conceſſis inſignibus velut ſupremis, quæ ab Academia ſperanda ſint, præmiis, nihil reliquum eſt, quàm, ut te, Pater omnipotens, Virgo Regina loci præſes, cæterique Superi immortales rogemus, obſecremuſque, ut hunc Ludovicum Gentam ita ſoſpitare pergatis, ut ejus bona, fideliſque opera huic regno utilis ſit, hæc quam accepit auctoritas innocentibus opportuna, miſeris ſit innoxia, & Civibus omnibus ſalutaris.

# DE PONTIFICIJ JURIS FACILITATE

## Ad Juris ejuſdem ſtudioſos,

## ORATIO TERTIA

*Habita IV. Idus Novembris M. DCC. XXVI.*

Nihil tam novum, & inuſitatum eſſe videbitur, A. O., quàm ſtudioſis ad ingenuas artes aggredientibus oſtendere, quantum hæ laboris, difficultatiſque contineant; quum doctiſſimi quique liberalium artium Profeſſores nihil curent impenſiùs, quàm ut mentes adoleſcentium ad illarum ſtudium rationum pondere trahant, & dulcis orationis flumine ad ipſarum amorem alliciant. At graviſſima ſacrorum doctrina, eoque præſtans nomine, quòd divina cuncta regat, & moderetur, nullum ex alienis ornamentis, & laudibus ſibi ſumtura eſt, dicentis non ſolum inopiâ, ſed propriâ magnitudine quadam, & dignitate. Incredibilem, & noxium dumtaxat errorem, qui, neſcio quomodò pervagatus ſic increbuit, ut per multorum pervaſerit animos, eximendum cenſeo, modicam, & nullius pretij rem Jus Pontificium eſſe

dictitantium, quod Romanæ prudentiæ delibatis inſtitutionibus facillimè perdiſcatur: illoſque, qui nunquam eam artem à limine ſalutarint, triduo poſſe Juris ejuſdem ſeſe conſultiſſimos profiteri. Quod quum de ſtudijs detrahat plurimorum, qui velut aliud agentes ad facultatem longe maximam, & Reipublicæ ſummè neceſſariam deferuntur, enitendum eſt omni diligentia, ut eam perniciofam opinionem pro viribus, ex intimis adoleſcentium mentibus evellamus, ut ſtudioſa Juventus [ cujus majorem in dies concurſum Juris addiſcendi cauſsâ fieri videmus ] intelligat, nihil ſibi de profectu in hac doctrina poſſe promittere, niſi ad eam ſic acceſſerit, ut ad excelſam, digniſſimamque diſciplinam, quâ bonum omne publicum, magna Reipublicæ vis, & auctoritas, Sacerdotum quoque, & Principum amplitudo, imperium, & majeſtas, divina demum Jura definiantur. Vos igitur, Adoleſcentes, de quorum ego commodo, & utilitate ſollicitus ſum, ſi quid, ut ſpero, dicendo profecero, hanc mihi vicem reddite, ut ne videlicet apud viros non invidos, nec indoctos, nec inficetos, vel temerarius exiſtimer, quaſi in alienum locum irruerim, vel quòd tantæ ſententiæ auctor ipſe fieri voluerim, ob id ſuperbus habear, prædicerque. Siquis enim alius extitiſſet, qui vobis in hac facultate quid ſequendum, quid vi-

tandum ſit, explanaſſet, melius profectò voſtris ſtudijs conſuluiſſet, & communibus obſtitiſſet erroribus: meque haudquaquam invitum ſuſcepto labore, qui profectò non modicus eſt, & hac etiam, ſi mavult, invidiâ liberaſſet. At in eam nos venire poſſeſſionem, quam vacuam ipſi reliquere, non ægrè, ſi juſti ſunt, patiantur, ut quod caput in Pontificio Jure videtur exponentes, non prius vos, Auditores lectiſſimi, ad utiliſſima, uberrimaque præcepta convoleris, quàm ego vobis hodie, quidquid in illis difficile reperiatur, expoſuerim. Quod ſi mihi pro vobis ea, quam non promerui, ſubeunda, tolerandaque nota ſit, non multum reſiſto, quippequi cuncta potius ſuſcepturus incommoda ſim, quàm ut quidquam de mea conſuetudine prætermittam, cui tot præclari, doctique Juvenes, vel hærentes in foro, & ſortiti ſplendiſſimas præfecturas, vel in Academia adhuc verſantes, aliquid ſe ſe debere fateantur. Accedit & illud vel ex viciſſitudinum humanarum contemplatione, & periculo comparatum, vel certiſſimâ ſpe æquioris apud vos, cæteroſque bonos judicij, nos ita cuncta laturos, quemadmodum hactenus vel hominum nonnullorum, vel fortunæ, vel iniquum in nos animum, vel incommoda tulimus.

Et ſanè qui picturæ, vel alterius artis præceptis imbutus, quum manum, pedem, au-

rem, aliamve corporis partem delineare didicerit, ſi quidquid oculis cernimus non modò coloribus fingere, ſed etiam Heracleotem Zeuxim, Apellem, Polygnotum, aliumve inter priſcos, & novos celeberrimum non imitari ſolum, ſed etiam artis præſtantiâ æquare ſe poſſe confideret; is an bene, vel contrà judicio prudentum audiret, tam eſt manifeſtum, ut id procul dubio quiſque cernere poſſe videatur. At ſi eum ipſum non modò hæc polliceri, verum & Phydiam, & Myronem, & Polycletum, alioſque, non ſculptores ſolum, & ſtatuarios, ſed & Architectos aſſequi ſe prædicaret, quòd hæ artes finitimæ ſint: ille profectò non deſipere, ſed penitus inter ſanos furere cenſeretur. Nihil enim apertius, quàm neminem Artificem dici poſſe niſi totâ eâ cognitâ diſciplinâ, cui ſe ſe totum addixit; quam ubi perceperit, quamvis ad Parrhaſij, vel Timanthis præſtantiam accedere putetur, Praxitelem fruſtra æmulari ſperaverit, niſi hujus poſtremi facultatem primùm imbiberit. Quis è Logicis Phyſicam, quis è Geometris muſicam, quis è Philoſophis Eloquentiam, illis exceptis, qui has didicere, ſibi petulanter arrogat? Imò quis, ne dicam, abjectus operarius, ſed egregius opifex alicujus rei notitiam affectat, niſi ad illam aliquo temporis intervallo toto incubuerit animo? Solus erit privati Juris conſultus, &

ſæpè

ſæpè non ille, cujus domus ſit totius civitatis oraculum, ſed è grege ſumtus novitiorum, qui cum artis ſuæ, neque brevis, neque perſpicuæ, quædam præcepta vix noverit, nullam Juris ſacri notitiam expreſſerit, non ſolum in illa, ut Sulpitius, vel Varus aliquis excellere, ſed de hoc brevi, bene, feliciterque reſponſitare ſe poſſe non dubitet, & tanquam de cœlo ſcientiâ delapsâ ſic uti, ut conſulentibus non reſponſa reddat, ſed vaticinia? Quis ſine cura, ſine ſtudio, ſine ſudoribus, pignorum, hereditatum, obligationum, codicillorum interpreti, & formularum cantori, quod cæteris omnibus non eſt conceſſum, polliceatur? Longè namque diverſa, maximèque diſtantia quis facillimè conſociarit, ubi Jus ſacrum cum profano, publicum cum privato, divinum cum humano Jure adeo confundat, ut quamvis unius ſocietatis civilis regundæ cauſsâ latum utrumque ſit, hoc ſolùm accepto, illud ſe nullo negotio tenere, profiterive contendat; illud, inquam, à ſanctis Patribus decentiſſimè conſtitutum cum hoc à populo Romano, Principibuſque ſæpè Chriſtianarum partium inimicis ſancito; illud in auguſtis religionis conventibus cum hoc in profanis ethnicorum comitiis; illud non ante rogatum, quàm caſtæ piæque precationes adhiberentur, cum hoc quod populus non ante ſcivit quàm animantium exta, & auguria obſervaret; illud

ſine corporis ullâ pœnâ, & ſine ſanguinis mentione, cum hoc verbera, cruciatus, exilium, reſtem, crucem, culleum, beſtias, ignemque minitante; illud in Eccleſia cum hoc in campo, foro, palatio: illud Deo Præſide optimo, maximoque; cum hoc in media falſorum Numinum ſuperſtitione nato, & adulto, & pene dicam, profanis expiationibus, & ſacrificijs ſuis ab initijs inquinato.

An hoc ſtudium ſuapte natura planum, expeditumque fortaſſis ab aliquibus exiſtimetur, ut aliquâ, ſed levi diligentiâ facile perdiſci poſſe videatur? Ex tribus hercule fontibus omnis diſciplinarum difficultas exoritur, ex rerum videlicet excelſitate & amplitudine, ſubtilitate, ambiguitate. Si rerum nobilitatem, ſi præſtantiam conſideremus, ecquis non putet Jus Pontificium civilibus ſanctionibus excellentius, majus, auguſtius? Quid Sacerdotij dignitate, quid Pontificum Jure, quid Eccleſiæ regimine, quid divinarum denique rerum omnium diſciplina gravius, ſanctiuſque? An ſacra Jura putantur leviora profanis? Sacramentorum omnium, rerumque religionis ſanctimonia ſacris legibus, vel religioſè cuſtodita, vel humaniſſimè vindicata, tam futilis, tam contemnenda res eſt, ut tutelæ, mandato, ſocietati, contractibus demum, & actionibus privatorum poſtponenda cenſeatur? Abſit

ſit, Auditores, abſit, ut nobis excidant hæc portenta verborum? Nonne ſummæ Chriſtianæ Reipublicæ poteſtates, quæ leges præſcribunt, & Jura promulgant cæteris, ſubmittunt non invitæ ſacris conſtitutionibus faſces? Nonne fines illis utriuſque ſtatuuntur imperij? Quis unquam in controverſijs inter Sacerdotes, & Principes, niſi ex hoc Jure protulit teſtimonium? Ex hoc arma, ex hoc defenſio: hic murus otij, hoc propugnaculum publicæ felicitatis, vis Reipublicæ, robur diſciplinæ, vitæ communis auxilium, Sacerdotij firmamentum, Majeſtatiſque præſidium. Audes tamen cautionum auceps, & litium concinnator, eam doctrinam ſic contemnendam aſſerere, ut cuique ſine labore pateat, qua talium, ac tantarum rerum magnitudo, auctoritas, ſanctitas vindicatur, augetur, ornatur. Debuitne ſummus Juriſconſultus Gallus Aquilius, quum de facto quæreretur, ad egregium, & pene divinum virum M. Tullium mittere conſulentes; debuit ne Publius Scævola doctiſſimus Juriſperitus, quum de prædiorum Jure conſuleretur, quamquam & hoc ad Juriſprudentis officium attineret, allegare clientes ad Furium, & Caſcellium prædiatores; quum alteri, quod oratoris; alteri, quod prædiatoris eſſet, aſſumendum non videretur; non debent Juvenes vix tincti privatâ Juriſprudentiâ, quum non de quæſtionibus

nibus facti, quum non de jure finium regundorum, aquæ pluviæ arcendæ, ruſticarum ſervitutum, viæ, actus, itineris, ſed de Pontificum auctoritate, ſacramentorum ritibus, & diſciplinâ, Principum imperio, & poteſtate tractatur, maximis videlicet Chriſtianæ Reipublicæ fulcimentis, Juris publici partibus, ſocietatis Catholicæ nexibus, vinculiſque, vel præcipiti, pravoque judicio temperare, vel diligentius, impenſius, laborioſius, quod utile, quod magnum, quod arcanum in ea facultate eſt, non cupere, non aggredi, non luſtrare oculis, non mente comprehendere, non memoriâ tenere debent? Quot ſunt in tantâ Legulejorum, Cauſidicorum, Interpretum copiâ, in tanta librorum veterum, novorumque multitudine, qui de Sacerdotum Juribus, de maximorum Antiſtitum, & Principum controverſijs non ornatè, ſolidè, graviter, ſed probabiliter ſcripſerint? Quot, qui rectè conſulant? Quot, qui bene diſcernant? Potes itaque, quum pauciſſimos in ea diſciplina videas non eminere, ſed vix mediocriter eſſe verſatos, ſanus videri, quum non quinquennium in hac inſumendum diſciplinâ dicas [quod medius fidius in omni artificio nec neceſſario, nec liberali fieri ſolet] ſed nec annum, nec menſem huic tam præclaro, tam neceſſario ſtudio concedendum?

Sed quod tandem ſtudium, quæ, & quanta,

ta, Superi immortales, eſt iſta doctrina? Quâ videlicet univerſæ diſciplina ſancitur Eccleſiæ! Nulla igitur Eccleſiæ pars excluditur, regio excipitur nulla; peræque pertinet non ſolum ad Romanum, ad Hiſpanum, ad Gallum, ſed etiam ad Latinum, ad Græcum, ad Barbarum; loco non circumſcribitur, Provinciâ non finitur, non Regno, non juriſdictione concluditur; eos tantùm fines habet, quos univerſalis, quos Chriſti habet Eccleſia. Itane jus, quo Galli, quo Græci vivunt, facile didiceris, ex tam diverſis codicibus conflatum, ex tot conciliis deſumtum, à tot Patribus ſtabilitum? Libertate ſuâ Galli frui perhibentur, ideſt, illo Jure vivere volunt, quo Reſpublica priſcis temporibus utebatur; Metropolitarum jus adaugent, Antiſtitum poteſtatem exaggerant, omnia proinde perire malunt, quàm ut quidquam de eo Jure decedat, quo Magnus Gregorius, quo Gelaſius, quo Siricius utebantur? Quid tu ex novo jure non Gallis, ſed Græcis opponas, ubi Africanum, ubi univerſæ Eccleſiæ codices oſtenderint, inculcarint? Sunt, inquient, hæc ſacroſancta Juris Pontificii decreta Nicææ, (a) Conſtantinopoli, (b) Epheſi, (c) Chalcedone, (d) Ancyræ, (1) Neocæſareæ, [2] Antiochiæ, (3) Sardicæ (4) lata magnis Hieronymo, Baſilio, Leoni

[*a*] *Ann.* 325. (*b*) *Anno.* 381. (*c*) *Anno.* 431. (*d*] *Anno.* 451. (1) *Anno.* 314. [2) *eodem Anno* 314. (3] *Anno.* 341. (4) *Anno.* 347.

Leoni, Gregorio laudata, probata, ſervata. Hoc jus eſt, quod tibi contemnendum adeo videtur, quum illud ignores. Sed quid mihi, dices, commune cum Græco, cum Gallo? Satis mihi fuerint Jura ſacra, ſed illa Romana. O egregiam Juriſconſulti ſcientiam, Jus ſacrum profiteri, & maximam juris ejuſdem partem penitus ignorare! Canonicas ſcire leges cum Canones plane neſciveris eos *totius*, ut ajunt illi, *Mundi reverentia conſecratos.* (a)

Sed quando ad Romanos me vocas Canones, parebo, nec tamen invitus. Romanus eſt codex ille vetuſtus, quo Zoſimus, Bonifacius, Cæleſtinus ante ſextum Eccleſiæ ſæculum utebantur. Romani, Dionyſii, Iſidori, Ivonis, Burchardi, Reginonis, Bernardi, Anſelmi, Innocentii, Vallenſis, Honorii, & alii plurimi codices. Facile ne eos videtur evolvere, quos ego commemoravi? Facile diverſos ritus, mores Eccleſiæ cognoſcere, de omnibus ferre judicium? Facilius utique quis Inſtitutionum quatuor, Codicis Juſtiniani duodecim, & Digeſtorum quinquaginta libros pervolutarit; ſed in iſtis maximas ineſſe difficultates agnoſcis; in illis non agnoſces, nec numero, nec pondere, nec gravitate, nec magnitudi-

ne

(a) *S. Leo. epiſtol. ad Anaſtaſ. Theſſalon cap. 2. tom. 1. Concilior. Hard. p. 1767. vid. ejuſd. epiſt. 25. & pſeudep. Damaſi ad Aurel. tom. 1. Conc. p. 759.*

ne cum his ullatenus comparandis? Sed quid agant tandem intelligo. De Gregorii noni, de Bonifacii octavi, de Gratiani codice diſputant. Quàm in anguſtam Juris Pontificii partem, & quaſi angulum ſeſe relegant! Hîc manifeſta Jura contineri dictitant, nec ſubtilitate, nec ambiguitate civili Juri ſimilia. O divini Juris ſacros Interpretes, quantâ vos hodie curâ liberatos intelligo! Quid vetera, quid nova tanto ſtudio, & labore tractatis? quid controverſias Gordio nodo implicatiores ſolvere conamini? ſunt hæ curæ hominum egregiè otio, ac literis abutentium. Omnia ſunt aperta pueris, & quod vobis & ſenibus, & eruditis, doctiſque minime patuit, hodie ſemidoctis liquet adoleſcentibus!

At videte quæſo, Auditores, ne ſi iſti de Juris Interpretum ſcriptis me dicere intellexerint, ſtatim ad id confugiant, a quo maximè vos abducere laboro: ideo magis eſſe reſpuendum Juris Pontificii ſtudium, quòd cuncta Interpretum operâ ſint enucleata. In quo tamen ſuo, ut aiunt, gladio conficiuntur. Si namque propterea facile Juris Pontificii ſtudium arbitrantur, quòd Interpretum operâ expoſitum, & in optimâ luce collocatum eſſe putent; facile & Jus privatum erit, quod totidem, pluresque habet Interpretes: facilis Theologica facultas; nulla diſciplina non facilis. At ſi ex ſcriptorum multitudine, atque librorum quid aſſumendum ſit, contrarium

rectius, ut opinor, colligetur; facit enim multitudo ipſa difficultatē, quùm quid ſequēdum ſit, præ variis ſcriptorum opinionibus difficile videatur. Optimè idcirco Juſtinianus, ne commentaria in Jus ſcriberentur, interdixit; quod utinam in publico, privatoque Jure cuſtoditum fuiſſet; non enim forum, ſcholæ, volumina tam variis, tamque diſſonis ſententiis redundarent; neque, quod eſſet optandum, tot ſapientes viri ſæpè fuiſſent de ſummarum poteſtatum concordia, de privatorum ſalute, fortuniſque ſolliciti. Quàm ſubtile igitur jus illud exiſtimabimus, in quo declarando tot deſudarunt, & deſudant interpretes, nec numero, nec doctrinâ, civilibus impares?

At verò ſi ſubtilitate, de qua multa prætereo, legibus Romanis par eſſe demonſtravi Jus Pontificium; tamen ambiguitate obſcurius eſſe contendo. Duo verò ambiguitatis genera agnoſcimus, alteram, quæ verbis hæreat; alteram, quæ irrepat extrinſecus. Illa facultatis vitio naſcitur, hæc hominum culpâ; illa voces reſpicit, & ſenſa legumlatorum: hæc documentorum veritatem, vel falſitatem; altera ad interpretem pertinet: ad criticum altera; alterâ Jus publicum vincitur à Jure privato: alterâ vincit. Atqui nullâ laborat ambiguitate jus Pontificium, quæ legum conditorum incuriâ in privata jura confluxit; qua, licet callide diſſimulent, immane quan-

tum

tum diſcruciantur ingenia; cuncta namque in noſtro dilucida,&niſi ex rerum magnitudine, numero, ſubtilitate labor oriretur, plana, & aperta, & quamvis non ornato, tamen ſimplici ſtylo conſcripta. At hæc perſpicuitas, quantam, Superi immortales, generis alterius continet obſcuritatem? Illam, dum mirantur incauti, in hanc delabuntur, & dum perſpicua & manifeſta cuncta ſibi cernere videntur, magnis, quos non vident, obcæcantur erroribus. Ab antiquioribus etenim ſua Gratianus, & ſæpe Gregorius mutuati, mutila retulerunt, & decurtata. Hinc prima Juris, quo vivimus, difficultas, non tamen maxima. Sæpe namque contingit, ut ad codices recurrere debeamus, unde in noſtros illa ſunt derivata; & quum ad eos acceſſeris, ad alios ſæpè confugere neceſſe ſit; quòd vel eodem præſcripta modò ſint, vel corrupta deterius in illis reperiantur, donec ad ſcatebram ipſam caputque pervenias. Promptum ne igitur & expeditum tot adire ſcriptores, tot luſtrare volumina? Semperne codices illos, tam varios, tam raros, tamque magnos in manibus habere poteris? Sed hæc quamvis non levia, fortaſſe tamen toleranda. Quid ſi unum, idemque monumentum hîc Pontificibus, illic Synodis, alibi Patribus adſcribatur? & ex codicibus, ſcriptoribuſque, qui Pontificibus illud affingunt, alter Pontifici, qui reſcribere conſuevit; alter ei, qui nullas dedit epiſtolas;

Qui

qui Conciliis, alter ementitis Synodis, alter veris attribuat; & rurſus, qui veris, alter Provinciali conventui, alter univerſali, ut de Patrum ſcriptis, quæ falſitatis notâ laborant, nunc conticeſcam! Quæ obſcuritas! Quæ perturbatio! Nec enim hęc parvi ducenda cenſueris; aliud enim, ſi œcumenicis ex Conciliis, Pontificumque reſcriptis, aliud ſi ex alio fonte teſtimonium promanarit, ſtatuendum. Quod ſi falſum ſit, quamvis relatum in Gregorii codicem, niſi & hoc ipſe cognoveris, noſtris deſpectui fueris, exteriſque ludibrio. An putas hæc rarò contingere? Et utinam rariſſima forent; non etenim magnâ curâ, magnoque pretio, remotiſſimis in regionibus hujus argumenti nobis eſſent quærenda volumina.

Nunc ſumas tibi quælibet ex hiſce codicibus; id enim per me jure licuerit. Aintu, quæcumque in Gratiani volumine legeris, iiſdem tibi, civibuſque jura præſcribi? Sed lex una cunctis nulla eſſe poteſt, quam non tota ſcivit Eccleſia, vel ea ſumma a Deo ſtabilita poteſtas, qua regitur Chriſtiana Reſpublica. Nonnulla verò in Gratiani codice quum ſint, quæ in civilibus, plura quæ in provincialibus, plurima quæ in diœceſium conventibus conſtituta, cognoſcas privatâ tantum auctoritate collecta, hæc ſi communiter cuſtodienda docueris, tenebras offuderis animis, Legeſque rogaveris, quæ nuſquam extiterint.

An

An huic te malo occurſurum putes, ſi univerſæ Eccleſiæ Concilia à peculiaribus diſtinguere noveris? Nequicquam ſanè operam perdas, ſi quæ conciliorum credis, privati alicujus effata, & interdum efficta commenta reperiuntur. Quare diſſidentes inter ſeſe juris Pontificii partes, ac decreta conſpicies, ignorabiſque viam, quâ ex his anfractibus juris, & legum ſalebris emergas, ut verum evolvas. Inde ſanè fluunt innumeræ, ſed planè ridendæ contrariorum Canonum enodationes, quas conciliatricis, neſcio cujus, artis ope plurimi venditant, quæ profectò ſunt illorum ambiguitati enucleandæ ſic perperam accōmodatæ, ut ſeria graviſſimorum virorum deliramenta videantur. Quorum latorum ſi tempora, cauſſaſque cognoſcerent, quemcumque nodum facilius atque felicius expedirent. Ergo fruſtra in his explicandis aliunde quæras auxilium, niſi pacta, fœdera, ſimultates, & odia quoque virorum Principum, quæ fuere ingentium ſæpè controverſiarum cauſſæ, memoriâ repetas. Quid enim probabile dixeris, ubi Gregorium, Bonifacium, Johannem (quorum ſunt poſtremi Pontificii Juris quo utimur codices) Clementi, Petroque ipſi contrarios eſſe videris? quid, ubi Anacleti, Evariſti, Alexandri, aliorumque Gregorio, Bonifacio, Johanni poteſtate parium, at partâ ſudore, & ſanguine ſanctimo-

niæ gloriâ longè majorum ſcripta protulerim novis adverſa legibus? Quid ubi Apoſtolos devocarim ex Hieroſolymis, & coram velut adduxerim Conſtitutiones, Canoneſque ſciſcentes? Quid ubi Chriſtum, inclytamque Matrem ſcriptitantem oſtenderim, & miſſitantem literas? Proferes tu [niſi ex penitiſſimis adytis Criticæ illas deduxeris] reſponſiones & ridiculas, & arbitratu confictas tuo? Quotuſquisque erit, qui tenebras haſce diſcutiat, niſi hiſtoriæ præſidium, & lumen accedat? Quo ergo labore, quâ diligentia eſt opus, ut ea quæras, invenias; quo ſtudio, eruditione, judicio, ubi repereris? Scripta ſcriptis erunt, moribus mores, tempora temporibus conferenda; quod, obſecro, quâ ratione, qua via, quibus auxilijs præſtare ſtudioſi poſſunt, niſi Chronologicam, Hiſtoricam artem, Juris præſidia Pontificij adiutrices arceſſant? Quo pudore ſuffuſi erunt, quum plures Canones citaviſſe rati, qui eandem definiant quæſtionem, unum eundemque Canonem diverſis præſcriptum verbis ſe attuliſſe viderint, & ex his nullum exemplari reſpondere ſuo, vel eſſe penitus ementitum exemplar? (a) An hæc evitaverint, ſi priſcos codices non inſpexerint, judicandi artem non intellexerint, mores, rituſque veteres non cognorint? Ac mihi quidem, Auditores,

Jus

[a] *Vid. Antonium Auguſtinum in dialog. de emendat. Grat. paſſim.*

Jus Pontificium contemplanti videre locum è longinquo videor amœnum, & fertilem, non ſolum viarum directa planitie, plantarum, ſignorum, & fontium leniter cadentium, ac murmurantium numero per intervalla diſtinctum, & nobilem; ſed fructuum etiam affluentiâ redundantem, & lætiſſimarum ſegetum multâ copiâ felicem, atque prædivitem; in quem tamen præſentem ubi perveniam, limpidiſſimis licet ex ſcatebris, rivulos fluere videam lutulentos, floribus ſentes, arboribus vepres intermiſtos aſpiciam, uberrimaſque fruges lolio, lappiſque conſperſas. Sic autem in iſto (ſi uſus daretur ejus) verſareris, ut tuum ad compendium pertinere non crederes, repurgare rivos, plantas reponere fructuoſas, radicitus ſpinas evellere, carduos, rubos, tribulos ſubruere, excindere, funditus extirpare; vel hæc adeo negligenter curanda cenſeres, ut nullâ impensâ, atque labore colere latifundium, & vitia removere ſperares, & ſimul conferre meſſem in horrea maturam, & uberem?

Quod, ſi in his probè noſcendis, ac ſegregandis Juris interdum falluntur Conditores, dum vetuſtiora recitant, quibus notiſſima priſca documenta, præſto ſunt doctiſſimi viri; quantum ab iſtis deſidibus, indoctiſque peccabitur, à quorum non ſolum oculis, verum etiam cognitione ſunt hæc omnia remotiſſima? Potuit Innocentius tertius loco

Generalis ſecundi Concilij citare Photianum Conciliabulum ; (a) potuit Synodi loco , quam ſextam dicimus , Trullanorum Epiſcoporum adducere teſtimonium (b), quod ſemper Romani reprobarunt Antiſtites : (c) & ut ad notiora veniamus , potuit Zoſimus, Bonifacius , Cæleſtinus , Nicænarum loco Sardicenſes proferre]regulas (d : potuit pro fictis epiſtolis priorum Pontificum tanto ſtudio decertare Nicolaus (e), ut prætercam Gregorium nonum , cujus operis alioquin eximij menda corrigunt eruditi ( f) ; ut Gratianum omittam, cujus ſunt errores innumeri

[*a*] *Cap. poſt tranſlationem xi. de renuntiation. jung. cap. hoc nequaquam* 45. *cauſ.* 7. *quæſt.* 1. *& ad hoc Roman. Correɛtor. vid. Anton. Auguſt. de emend. Gratian. lib.* 2. *dialog.* 6. , *& addition.* 2. [*b*] *Cap. à multis de ætat. & qualit. & ordin. jung. cap. ſiquis eorum diſt.* 32. *vid. Anton. Auguſtin. lib.* 1. *de emend. dialog.* 18., *& in addit.* §. 3. [c] *Vid. cit. Anton. Auguſt. lib.* 1. *de emendat. Grat. dialog.* 7., *& ſequent. Roman. Correɛtor. ad cap.* 6. *habeo librum diſt.* 16. (*d*) *Vid. epiſt. Conc. Afric. ad Bonifacium tom.* 1. *concilior. Harduin. pag.* 939. *codicem canon. Eccleſ. Afric. à can.* 134. *ad* 138., *& apud Dionyſ. Exiguum apud Juſtell. Biblioth. tom.* 1. [*e*] *Cap.* 1. *diſ.* 19. *vid. eam integram tom.* 5. *conc. Hard. pag.* 590. [*f*] *Vid. Ant. Aug. lib.* 1. *dial.* 2. 4. 6. 14. *lib.* 2. *& dial.* 2. *Baluz. ad Grat. p.* 474.

meri (g), nec hodie cogniti omnes; poſſunt iſti ſine ullo judicij adiumento, ſine ſtudio, ſine labore Juris divini conſultiſſimi fieri, quo in ſtatuendo, declarando, tradendo tot tantique doctrinâ præditi, rebus ipſis edocti, codicibus inſtructi, veterum rerum notitiâ clari ſæpiſſimè defecerunt? Si in uno caſtigando Gratiano tres maximi Pontifices, undique arceſſitis viris antiquitatum ſacrarum peritiſſimis, elaborarunt (h); nec tamen rem ita confecerunt, ut non magna pars hujus laudis Antonij Auguſtini, Stephani Baluzij, & aliorum eruditorum doctrinæ, curæ, ſudoribus ſit relicta (i); quid facturi ſunt illi, quum nunquam ſelectiores ſcriptores inſpexerint, vetuſtos codices viderint, nec de veritate alicujus ex innumeris ementitis Canonibus dubitarint? Melius faciliuſque mihi credite luminibus captus colores diſtinguet, voceſque ſurdus exaudiet, quàm qui non diu, non multum, non ut oportet, ſacrorum verſaverit diſciplinam, iſta cognoſcat, cognita ſeligat, ſelecta in ſuccum, ſanguinemque convertat.

Quapropter ſi nemo unus ſit, qui doctrinam, artemve, cui nunquam ſe addixit, non



[g] *Vid. cit. Auguſtin. lib.* 1. *dialog.* 1.

(h) *Pius* iv. *Pius* v., *& Gregorius decimus tertius. Vid. Ant. Aug. lib.* 1. *in fin. dialog. ult.*

[i) *Vid. eundem Baluzium in præfation. ad dialog. Anton. Auguſt.*

modò profiteatur, ſed nec ſuam ſe ſcire dicat, ante quam illam integram arripuerit: ſi Jus ſacrum, atque civile non ſolum diverſis ab auctoribus proceſſit, ſed utrumque longiſſimè inter ſe diſcreta contineat, ſi difficillimum illud ſit, quod de magnis, de publicis, de divinis rebus agit, quod in tam varia, tam rara, tamque magna volumina ſit diſpertitum, quod omnium Chriſtianarum gentium jura complectitur, quod ſubtile ſemper, & dubium ut plurimum ſic videatur, ut doctiſſimorum quoque virorum curam, & diligentiam nonnunquam eludat; nihil remanet amplius, quàm ut falſis eradicatis opinionibus de illius facilitate, quæ contemtum parere ſolent, ſummam, præſtantem, Regno, ſummiſque poteſtatibus neceſſariam, Civibus utiliſſimam diſciplinam continuis laboribus, omni ſtudio, totiſque viribus proſequamini. Ad nos enim quod attinet, Auditores, optimè nobiſcum actum eſſe credamus, ſi quod ſapientium virorum eſt, à vulgaribus erroribus diligentiſſimè declinemus. Non ſunt, fatemur, hæ, quas ineundas proponimus, cunctis hactenus tritæ viæ; at vobis nihil humile, ac indecorum, nihil non indole veſtrâ, veſtriſque majoribus dignum: nihil non feliciſſimis his temporibus accommodatum, quibus diſciplinas omnes reflorere videtis, aut tentandum, aut cogitandum eſt. Nec tamen

in-

induſtria, ſtudiumque veſtrum, nec labores, vel mercede (ſi prævidere quid animo valeo) vel gloriâ carebunt, cum munificentiſſimum Regem, qui vos omnes peculiari patrocinio complectitur, hi nunquam fugere queant, adeo ut Magiſtratus, Sacerdotia, Præfecturæ neutiquam deeſſe poſſint illi, qui eum, in quem ingredimur, ſtudiorum curſum feliciter abſolvat: ubi nempe conſtiterit Civem ipſum eſſe Reipublicæ non inutilem. Macti igitur animo cum ſapientiſſimis viris hoc anno optimi Juvenes, alacres, & læti rem capeſſite publicam. Quod equidem ut rectè præſtare queatis, inſtitutionibus in primis univerſi Juris acceptis, ut his utamini præſidijs hortor, & moneo, quæ ex hiſtoriæ, criticæ, & veterum codicum notitiâ doctiores, & eruditiores Interpretes, ſcriptoreſque ferunt; licet enim complures hæc inuſitata, parumque lucro convenientia dicant, non tamen ſine fructu, & ſine laude, ſit quantumvis bonis infeſta fortuna, pertractata vobiſque tradita videbuntur.

# IN JOSEPHI FRANCISCI MOROTII

## Marchionis Bianzeti

## COOPTATIONE

## ORATIO QUARTA.

*Habita IV. Calendas Julias M. DCC. XXII.*

MAjorne hodie P.C. in hoc veſtro conſeſſu admiratio fuerit, an lætitia, vix liquidò diſcerni potuiſſe cenſeo; quum in Joſephi Franciſci Marchionis Morotii diſputatione non ſolum omnes ab unius ore pendentes aſpexerim, ſed ubi primum magnum, & honorificum collegii decretum de laurea clariſſimi Prolytæ voce Præconis eſt declaratum, velut in communi triumpho cunctos præ gaudio in effuſas gratulationes, & plauſus erupiſſe cognoverim. At quamquam ea ſit univerſorum opinio de tanto adoleſcentis inclyti profectu gratulantium, minimè potuiſſe cum eo agi præclarius, quam ſi cooptaretur in illorum numerum, quorum Lycei noſtri publica documenta nomen illuſtrant, quibuſque gloriam tribuent in futura poſterorum memoria ſempiternam: foret tamen, quod huic ſollemni celebritati deeſſet, ſi quum & merita Candidati plurima ſint, & veſtra, quæ ad laudem

ipſius

ipſius pertinent, immortalia decreta videātur, ſola de ore dicentis flueret incondita, nec tam illuſtri conventu digna, nec gravis Oratio. Non tamen id mihi tribuo P. C. ut Prolytæ doctiſſimi laudibus me parem eſſe, vel quod aures veſtras implere queat optimarum rerum ſemper avidas, & capaces afferre poſſe dicam; ſed tam excelſas, tamque multas Adoleſcentis clariſſimi dotes eſſe contendo, ut ſine multo labore collectæ nec verbis inanibus, nec exquiſitis longa meditatione ſententiis, neque numeris aptè cadentibus egeant. Sive namque genus reſpicitis, ſive mores, ſive quæ foris, ſive quæ in Academia geſſit, inter patritios nobiliſſimum, inter cives honeſtum, muſis, honori, Reipublicæ deditum, optimiſque inſtructiſſimum diſciplinis invenietis. Sic igitur inclytum Prolytam ſummo Numinis beneficio formatum intuemur, & contemplamur, ut ſi ex illuſtris gentis initiis auſpicati ad huius laudes delabimur, ſtudioſorum decus eum jure meritoque dicamus: ſi contrà ab ipſo proficiſcentes in familiam, unde progenitus eſt, revocamur, nobilis Juventutis abſolutum exemplar eum eſſe fateamur. Quod ſi quis vitæ lectiſſimi Adoleſcentis ignarus hæc nova atque adeo miranda, & incredibilia putet, tantiſper ſuſtineat P. C. quoad Candidati clariſſimi ſic geſta breviter commemorem, ut non ejus eximias virtutes præconiis de more proſequi, ſed tantum obiter

per-

percurrere videar; ita namque futurum exiſtimo, ut non ſolum in unam de virtutibus hujus adoleſcentis omnes adducantur opinionem; ſed me, ut tempori, & modeſtiæ ſervirem, de illis admodum parcè, ac timidè verba feciſſe cognoſcant.

Haud tamen putandum vobis eſt P. C. me penitiſſimis ex latebris antiquitatis Morotii generis originem repetiturum; eccui namque ignorata mortalium Morotii ſanguinis claritudo? Hanc Hiſpaniæ, Galliæ, Germania, & à noſtra continenti diviſa Britannia non ignorant legationum, & munerum publicorum cauſsâ ſæpiſſimè peragratæ: nec eſt a nobis de gente inter Italiæ familias celeberrima, ſed de moribus, ſed de virtute Joſephi Morotii diſſerendum: in quo ſi, tamquam in ſpeculo conjuncta ſimul & magis rutilantia lumina, omnes maiorum virtutes contemplamur, quæ linguis, & calamo celebrantur, quid veriùs P. C. quàm hunc eundem ſtudioſorum omnium eſſe decus, & ornamentum? Quid enim hoc Prolytâ, & Parenti ſuo, & Avo ſimilius? Te primum, Gaſpar Ludovice Moroti, honoris cauſſa nominabo, quem felicem, beatumque non magni Cancellarii munus, quo in Equeſtri cenſu Divi Mauritii fulges, non Hiſpanienſis illa legatio, qua ſumma cũ laude perfunctus ingentẽ tibi famam apud Hiſpanum Regem peperiſti, ac Victori Regum optimo in primis acceptus

priſcæ

priſcæ familiæ claritati novam lucem attuliſſe viſus es (quamvis hæc non ſint in infimis vitæ tuæ præconiis reponenda) ſed fortunatiſſimum trium liberorum effloreſcens, ac lætiſſima ſoboles efficit; ex quibus tibi conſpicere datur Joſephum Franciſcum filium natu majorem, virtute maximum, tuas non æmulantem, ſed penitus exprimentem dotes. En tuam illam in rebus ancipitibus prudentiam in Nato renaſcentem tuo! en dexteritatem iterum exorientem in filio! en gravitatem in florenti illius ætate maturam! Qui plantæ ſurculus, qui fonti rivulus, quod lumen lumini ſimile magis? Tu Patris tui in munere ſucceſſor, & velut meritorum heres, hic tibi, & Avo ſimillimus. De Carolo nempe Morotio præſtantiſſimo viro Prolytæq; noſtri Avo loquor, P. C. cujus Legatum agentis Mediolanum, Janua, Parma, Londinum, Vienna ſapientiam ſunt admiratæ; quem Leopoldus ille religione piiſſimus Imperator, & de victis barbaris triumphator benevolentia complexus, honoribus ſummis affecit. Quem, ò prope divinam viri clariſſimi laudem! Victor Amedeus Rex (noſtis P. C. Principis ingenium!) non ſolum Regni Adminiſtrum, non ſolum Torquatum Equitem creavit, ſed adoleſcentiæ comitem habuit, & educatorem. Nam ſive naſcentes Principis virtutes optimis fovebat inſtitutis, ſive ad gentilium Heroum exemplum juve-

nilem

nilem Regis animum componebat, hoc maximis ejus virtutibus gloriam addet oblivione nunquam inobſcurandam, & obruendam. Si namque præclarum, & eximia quadam, immortalique gloria dignum eſt conſilio juvare Rempublicam, ubi maximè Civium ſalus periclitatur, quam laudem eum promeritum eſſe dicemus, cui contigit ſaluberrimis monitis, atque præceptis Patriæ Parentem imbuere, qui non modo exardeſcentia bella reſtinxerit, ſed hoſtilem omnem impetum ita retuderit, ut flammam, ac peſtem à Regno, à mœnibus, ab aris, à focis, à fortunis noſtris, à civibus, à liberis, à vita depulerit, & florentiſſimæ pacis artes armorum furore, & communi calamitate dilapſas æterno ſubiectorum bono erexerit, reſtituerit, amplificarit? Quid ergo felicius, quam tanto ſub Principe natum eſſe? Quid fortunatius, quam ejus imitari virtutes, quo cultore ſimul, & admiratore, tanta in Optimo Rege cunctarum virtutum moles creverit, & ad cœlum uſque pertigerit? Ægre P. C. à memoria Clariſſimi viri dimoveor, cujus mortem quamvis neceſſariam, immaturam tamen, deflendam omnibus civibus arbitrarer, niſi vivam mihi in Joſepho Franciſco Marchione Morotio ſummi, & ſapientis Avi imaginem intueri viderer; non illam corporis mortalem, & fluxam: ſed animi, ſed mentis incorruptam, & immortalem, quam ſapientia format, juſtitia diſtinguit,

guit, fortitudo confirmat, erigit abſtinentia, fides honeſtat, caſtimonia, religio, pietas, ornat, & perficit.

At me plura pollicitum tandem intelligo, quàm poſſim verbis exſolvere. Id autem mihi ſuſpicor contigiſſe, quod illis, quos Oceanum primum navigare auſos tum ejus immenſitate perterritos eſſe puto, quum rapido vento non magis delati, quàm rapti littus terramque diffugiſſe viderint, oculiſque perſpexerint longè lateque diffuſum maris ambitum ætheris tantum finibus, cœloque finiri. Eis equidem in eas inſulas forte fortuna deportatis, quæ contra extremam Mauritaniam ſunt ad occidentem ſolem, non tantum ob aëris ſaluberrimi temperiem, florum varietatem, fructuum ſuavitatem, aviculatum concentum, omnium bonorum copiam, quibus affluere, & redundare perhibentur arbitror illas habitas fuiſſe fortunatas, creditaſque non ſolum felicium animorum domicilium, ſed otia quoq; Deorum: ſed ob metum maris illius, quod & procelloſum timebant, & exhorreſcebant interminatum. Quid nobis enĩ de viribus noſtris non pollicebamur, antequã ad Morotiam familiam, velut in vaſtum pelagus, aggrederemur? At vix altum ſtemma conſpicientibus licet eſſe felicibus, ſi dumtaxat in aliorum duorum mentionem non feramur, ſed incidamus: quorum virtutes in inclytum Prolytam non deſcendiſſe, ſed penitus

nitus immigraſſe videbuntur. Voſque Carole Philippe, & Ludovice Morotii, quamvis magna ſubalpinarum gentium lumina reticerem, ſi longius ab optimo Prolyta diſcretos offenderem, nec in alterum Proavum, in alterum Abavum celerrimè percurrens, & quodam velut æſtu lata non incurriſſet Oratio. Quid enim vobis, felices animi, mihique fuiſſet commune? Quid veſtræ gloriæ, noſtræque novitati, doctrinæ veſtræ, noſtræque imperitiæ? Quid adderem famæ virorum, quæ latiſſimè volitat per omnium ora mortalium? Quid? Illam augerem ego doctrinam, quæ in tribunalibus, tanquam in Regno, dominatur? Adderem facilius flammæ lumina, ſoli lucem. At ſine veſtra dicam injuria: immo, ſi fauſtis hominum rebus Superi delectantur, ſumma cum veſtra lætitia dicam, Morotii generis ſapientiam, vobis intereuntibus, minimè periiſſe: vivit adhuc in poſteris, virens in Nepote floreſcit, & germinat. Et quidem P.C. ſi virorum illuſtrium, atque magnorum doctrinam, vobis præſentibus, commendare vellem, actum, ut ajunt, agere viderer; ſi munera, quæ geſſerunt, & longum id eſſet, & ab orationis præſcripto alienum. Quanti Ludovici reſponſa, quanti Caroli tractationes, opuſcula, orationes, quanti ſcriptum ab hoc poſtremo doctrinâ refertiſſimum apologeticū, quo Antonium Fabrum doctiſſimum quidem, & eruditiſſimum virum, at veteribus Interpre-

tibus

tibus ſemper iniquum mordaci ſale perfricuit, apud cunctos æſtimētur: quanti in foro, in Judicū ſubſelliis, in tribunalibus fiant, exteri, civeſq; fateantur. An putem Ludovici dignitatem, quum Catharinæ Auſtriacæ Regiæ Principis egerit Adminiſtrum, quum Ærarii, quum Senatus ampliſſimi Præſidem, quum Romæ Legatum, veſtris dumtaxat e mentibus excidiſſe? aut Caroli ſummos honores oblivione deletos, qui paternis dignitatibus, quas & ipſe geſſit, magni hujus regni Cancellarii poteſtatem adjecit: & obliteratam a vobis virorum ſummorum memoriam, Civitatis, Senatus, Regni monimentis, ſcriptiſque immortalibus conſecratam? Quod ſi tam claris, excelſiſque virtutibus tenebras nulla vetuſtas offuſura eſt, conſiderate P. C. an Abavi doctrinam, Proavi ſapientiā in Joſepho Marchione Morotio deſideremus? attendite Juvenis in hac ætate mores, & ſapientiam; mihi namque vel ſemel comparaſſe ſatis erit & ſenum, & majorum cum adoleſcente, & Nepote virtutem. Si verò inter eos, qui ſubalpinam hanc regionem rebus geſtis, literiſque nobilitarunt, tales Joſephi Majores fuere, qui nationis rectè decora dici poſſint, nimiumne mihi ſumſiſſe videor, ſi dicam ſtudioſorum illum decus eſſe, qui Majorum ſuorum virtutem non contemplari, ſed imitari; non verbis extollere, ſed factis exprom ere; non in aliis mirari, ſed in ſe derivare omnibus ſtudiis, tempore,

viri-

viribus pugnat, enititur, elaborat?

Me vero ſublatum in eas partes intueor P. C. unde lectiſſimi Prolytæ doctrinam velut ex alto loco contemplor; quem ſi ſtudioſorum decus rectè vocavimus, nemo negabit nobilis Juventutis dici poſſe numeris omnibus abſolutum exemplar. Et ſanè, ſi ſtudia Candidati clariſſimi propius attendamus, nihil in illis commune, vel tritum reperiemus; imò quod generis magnitudini non uſquequaque reſpondeat. Fidem profecto, juſtitiam, honeſtatem, moderationem, ac fortitudinem, quas violaſſe nunquam, coluiſſe ſemper viſus eſt inclytus adoleſcens, nobilium animorum proprias dotes eſſe debere, nullus dubitat. At quis rectè ibit inficias, ornamenta nobilitatis domi, & foris in civilibus otijs, & remotis ab armorum furore temporibus ex liberalibus inſtitutis, Philoſophia, Eloquentia repetenda, & civilis vitæ moderatrice Juriſprudentia, & omnis humanitatis? Ut enim ſine lumine in hac rerum univerſitate nihil eſſet, quod oculos reficeret, ac recrearet, corporiſque motus dirigeret: omniaque horribili quadam commixtione confuſa conſpicerentur, terræ, cœloque pulchritudo, voluptas deeſſet hominibus, vita mundo ſublata videretur; ſic illuſtrium ingeniorum, atque ſublimium, ſi ſapientiæ, ſi bonarum artium, ſi virtutis luminibus obſtruas, unde generum

cla-

claritudo, unde nobilitas oriatur, ubi ſacra familiarum, & priſcorum geſtorum inſignia reperiantur: quæ erunt Majorum imagines ſi nullo claræ facinore? Omnia nimirum obſcura, & humilia fuerint, tenebriſque offuſa denſiſſimis; generoſæ namque nobilitatis hæc natura videtur, ut à virtute, doctrina, ſapientia tanquam ex radice naſcatur, cum virtute, cum doctrina, cum ſapientia creſcat, illiſque deficientibus, non generis nobilitas, ſed extinctæ nobilitatis inane ſimulacrum, buſtumque permaneat. At inclytus Prolyta non ſolum adeò liberalibus inſtitit diſciplinis, ut vetuſtiſſima familiæ decora ſervaret, augeret: verum & illa jecit fundamenta virtutis, ut novæ claritatis eſſe poſſet & parens, & auctor. Percurrite P. C. ſi vacat, bonas artes omnes, Doctores Academiæ conſulite, diſciplinas enumerate. Humanioribus literis inſtructiſſimum requiritis adoleſcentem? Joſephum conſiderate. Dicendi in arte peritum? in eum oculos, mentemque conjicite. Ratiocinandi diſciplinâ præſtantem? Prolytam lectiſſimum intuemini. Qui ſubtiliter naturæ perſcrutetur arcana? Qui divinas & humanas leges ſtudioſe ſit conſectatus? cum vos ſummis laudibus affeciſtis. Sed quid vos moror P. C.? In omnibus artibus verſatum quæritis, quæ digniſſimæ videantur ingenuis, ac vere nobilibus? Plurimi ſunt, quos huic uni me-

rito poſtponamus: rariſſimi, quos comparemus: nemo, quem non injuriâ præferamus.

Leviter autem Joſephi Morotij ſtudia perſtringeret, & animo luſtraret extrinſecus, qui doctrinarum numerum dumtaxat attenderet; non enim his operam dediſſe contentus, qua in re comites paucos enumerare potuiſſet, enitendum ſibi conſtituit, ut ſtudia à populari diſcendi modo, ad altiorem, ac verè nobilem revocaret. Quid verò non eſt conatus in hoc conſilio, & ſententia defixus? Eloquentiæ ſociam Poëſim adjunxit, non illi profectò, quam corruptam, & fucatis quibuſdam dicendi coloribus ornatam venditant in Rethorum officinis; at ſanæ, caſtæque, Tullianiſque fulgoribus emicanti. Quot carmina ſuavi, modulatoque ſono cadentia avidis auribus excepimus, quot ad amicum ſibi ſimillimum ſcriptas epiſtolas, quot conciones, quot ornatas orationes, & grandi quodam ſtylo conſcriptas, & optimis verbis, & expolitis? Nemo veſtrum P. C. fuit, qui plures adoleſcentis diſſertationes de vetuſtis rebus, & criticis, qui juſta de rebus graviſſimis commentaria legere non potuerit. Quid referam naturæ demonſtrata ſpecimina, non inani fulta mentis acumine, vel vocibus omni ſignificatione carentibus, ſed ex intima rerum notitia deducta; neque fallacibus periculis comprobata? Quid ex

mo-

morum ſcientia expreſſa præcepta, cujus Socraticis ex fontibus derivatæ quidquid eſt magis purum, ac liquidum in Jura Romana defluxit? Quid eruditionem variam ex chronologicis, & hiſtoricis ſcriptoribus arceſſitam? An de Juris ſacri notitia loquar, quam ex Patribus, Conciliis, & priſcis Eccleſiæ monumentis arripuit? Sed hæc vel vobis admirantibus edita, vel in hac publica luce tentata. At Morotii ſtudium non ita in Athenæo noſtro refulſit, ut peculiari laude careret; exemplo namque ſummorum virorum, qui domeſticos quoſdam inſtituerant conventus diſciplinis augendis, & acuendis ingenijs deſtinatos, privatam quandam Academiam excitavit, in qua, noſtro duce, quidquid vel publice auditum, vel ſolitaria lectione perceptum eſſet, iterum incudi reddebatur, donec caſtigatum, ac nitidum permanſuris litteris conſignaretur. Hinc ſæpius æmulatorum retuſa tela ſunt: hîc veluti aliud propugnaculum conſtitutum literariæ ſecuritatis. Nullus etenim erat, qui nobiles Juvenes, ac generoſos publicè diligenter edoctos, privatim operoſis laboribus continenter exercitos non ſolum cominus adoriri, ſed nec eminus quidem laceſſere auderet; quæ res noſtris animum addebat, æmulos numero viribuſque minutos ad metum, & ſilentium adigebat. Quid enim probabile dixiſſent, quod cognita Juvenum virtute,

non illicò confutatum, exploſum, & deriſum fuiſſet? An neglectos adoleſcentiæ mores, & licentiâ ſolutos exprobraſſent, in tam perſpicua Juvenum modeſtia, caſtitate, religione? Tempus in gerris, eruditiſque nugis inſumptum, in tam aperta utiliſſimarum rerum ſcientia, & profeſſione? in Barbarum vocum ſonitum, & linguam auditam in Latinis regionibus peregrinam, in tanta Romani ſermonis caſtimonia, & ubertate? Vim obtuſam ingenij, in tam ſubtilium rerum perveſtigatione? Remotos deſidia, & vanitate Juvenes à cura Reipublicæ: ſi artibus illis jam aſſueverant, ſine quibus Reſpublica ſtare non poteſt? Artium denique nobiliſſimarum curam ab hoc uno dumtaxat abiectam in tam evulgatis, latèque patentibus Morotii laboribus, profectuque, cujus non ſolum pervagata per nobilium conventus fama erat, verum etiam à pravis opinionibus pleroſque dimoverat, & multos in hanc ſocietatem advocarat, adduxerat, eoſque in omne conſilium, ſtudium, virtutemque conſociarat?

Vix itaque P. C. poſthac aliquos futuros opinor, qui quum in Joſepho Morotio tam clara doctrinæ lumina videant, & ipſi ineſſe tam multa virtutis ornamenta cognoſcant, non tamen in eo cuncta reperiri libentiſſimè fateantur, quibus & ſtudioſorum decus Jure vocetur, & nobilis Juventutis perfectum

exemplar. Quorum alterum ſi propterea præſtitit inclytus Prolyta, quod ſemper optimis diſciplinis operam dederit, perfectioraque ſtudia fuerit proſequutus: alterum quod Majorum virtutes æmulatus ſit, illud mihi videor rectè poſſe ominari cunctos paternos, & à nobiliſſimæ ſtirpis viris quondam geſtos honores huic uni non defuturos, cui nulla deſunt ornamenta Majorum. Quæ quidem uti feliciter eveniant, Adoleſcentis eximij merita facient, quibus, ut ab Academia ſumma nunc præmia tribuuntur, ita hæc ſint ſummarum Reipublicæ dignitatum initia, quæ divino Numinis munere ex hac optimarum doctrinarum altrice principium habuiſſe, & quaſi cunabula videantur.

# IN COOPTATIONE LUDOVICI HIERONYMI MALABAYLÆ

## Canalium Comitis

## ORATIO QUINTA

*Habita XI. Calendas Auguſtas M. DCC. XXVII.*

PErenni ſummi Numinis beneficio factum opinor, P. C. ut ſive paucos, ſive plures de more laudare præterito tempore conſueverim, lectiſſimos ut plurimum à ſuperis immortalibus mihi creditos, datoſque cognoſcam, & ex tanta Candidatorum omnis ætatis, generiſque multitudine ſummos, optimoſque non ſolum nihil tale promerito, ſed neque ſperanti penè fuiſſe delectos. Sive namque Collegium hoc veſtrum intueor, ſive cunctos in exteras oras delatos intelligo, ſive Patriam colentes, & hanc regionem, menti vel oculis obverſantur, mirari non deſino divinam Cælitum providentiam, & lætari tanti muneris dignitate, quod non ſolum ſtudioſis eiſdem, verbis ampliſſimis magnos honores collatos aſpexerim, ſed quod etiam cuncta, quæ de illorum ſtudiis fueram auguratus, ex voto fauſta, reique publicæ ſecunda contigerint. Quod ſi priorum annorum gaudia reputans ad præſentem diem

diem animum adijcio, non geminatâ, ſed propemodum infinitâ lætitiâ mens perfundetur, ac inundabitur; quum hodie conſpiciamus Adoleſcentem & factis de re literaria benemerentem, & propriâ famâ nobilitatum, & cui ſupra morem, ætatem, & pene dixerim mortalitatem a Deo omnia conceſſa fuerint. In Ludovico namque Hieronymo Comite Malabayla, non modò, quo lætemur, habemus, ſed quo gaudio triumphemus, ſi cæterorum numero licet ultimus, par animo ſummis, nullique gentis præſtantia ſecundus appareat, & qui decētiſſime doctiſſimorū, qui præteriere, nobiliū Juvenum agmen & honeſtet, & claudat. Et utinam P. C. tantarum virtutum multos in poſterum ſucceſſores intueamur, ac injuriâ dixiſſe revincamur, hunc præſtantibus laboribus noſtris coronidem addidiſſe; quod quum evenerit, gratulabimur. Nunc autem, futuri tantiſper neglectâ curâ, magis exultemus, quòd in hoc ſingula, quæ ſparſim in aliis agnoviſſe potuimus ornamenta, conjuncta ſimul, & aucta reperiantur, ut hæc plenis manibus a Superis non data, ſed profuſa videantur. Et quidem decebat hoc maxime ſempiterni Numinis beneficentiam, ut quum præſentiâ ſuâ doctis piiſque Academiæ cæptis ſemper adſtiterit, quod ſingulis annis indulſit, hoc prolixius tempore, tantoque Prolytæ largiretur; quem ſic formatum compoſitumque voluit, ut aptus ad omnia cunctis

abundaret fortunæ, naturæ, mentiſque præſidiis. Non igitur aliundè juvat nunc exordiri, quam ab eo ſummo rerum omnium Effectore, ac Molitore, qui quum omnia donarit; præſtiterit omnia, pulcherrima nobis miranda hac tempeſtate propoſuit: nec denique præſtabit exorſis finem imponere, niſi ejus ſuprema cum laude, qui tibi, Clariſſime Prolyta, tam multa a nobis celebranda decora tribuit; quæ tum rectè fient, & ordine, quum divinitus data referentur accepta Cælitibus: & ſi laudationem haud eſſe noſtram tum cenſeamus, quum laudandis dotibus, aut animi viribus corporiſque, vel præire nos aliis, vel aliquid poſſe dicamur.

Nullus profecto P.C. ab Academia reſtituta tantæ in hac veſtra corona nobilitatis enituit ſplendor, & decus, qui hodie, ſi Ludovici genus attendimus, ejus claritati præluceat; nullum tam magnum vidimus eruditionis, doctrinæ, virtutis experimentum, quod veſtram admirationem excitare non poſſit, ſi quum omnium lectiſſima quæque teneat, exprimatque cæterorum optimus adoleſcens unus, vix alius unius ornamenta nonnulla complectatur. Fuere, qui priſcam nobilitatem deductam ab heroicis uſque temporibus oſtentavere: fuit, qui divitias, fortunæque larga munera jactare potuerit, vel geſtas a majoribus dignitates. Alius bella recenſuit, & patriam manu, vel conſilio ſuſtentatam,

paren-

parentumve cicatrices commemoravit, vulnerum adverſo pectore ſuſceptorum glorioſa veſtigia. Qui ſacras poteſtates, qui magiſtratus; qui præfecturas recenſuerint, fuere quamplurimi. Alii demum ab ſe ſe totam nobilitatem quæſierunt, ut quod aliis fuere majores, ipſi poſteris eſſent, & omnium titulorum, imaginumque loco ſuam prudentiam, ſapientiam, doctrinam, non aliunde arceſſita lumina demonſtrarunt. Tu quod novi proferres, nihil, Ludovice, haberes, ſi cuncta dicendi ſtudium atque ſedulitas occupavit: nihilque laudatione tua difficilius, quod ſerius natus eſſes, ſi alius ante te par omnium omni laudi fuiſſet. At nihil trepidam turbare mentem in hac eadem virtutum, & ornamentorum copia poteſt: tolle ab omnibus, quod ſingulorum eſt, tibique optimo jure convenit, nullumque te digniùs laudavimus alium. Ab hoc ſume majorum in toga geſta facinora: tolle ab aliis ſacros honores, & infulas; ab iſto fortitudinem militarem, bellica decora, Ducum prudentiam & reportatas palmas; ab illo pacis conſilia, & artes regnorum, Scriptorumve immortalem gloriam; tum adde propriam doctrinam, propriam modeſtiam: ne prætermitte morum honeſtatem, atque candorem: legum ne præteri reverentiam, cunctas demùm adjunge virtutes, & non modo te dignam laudationem expreſſeris, ſed quam, præter te, nemini aptare poſſis. Sic P.C. naturâ

proditum videris exemplar, quod nulla mortalium opera unquam effinxerit, fortuna, virtute, Cælitibus velut in unum conſpirantibus opus. Sic mirabili prorſus arte nonnunquam efficitur, ut quum in tabula conſpicere detur hic ſudum cælum, & candentia nocturno lumine ſidera, iſtic ex irriguo fonte in marmoreum labrum fluentes aquas, illic mari paſſis velis incubantia navigia, alibi præruptam opaco nemori conterminam rupem; ubi ſuæ luci reddita cernas hæc moderatè diſtantia, pulcherrimam hominis ſpeciem cuncta referre, & exprimere videas, & quod monti, mari, fonti, cælo, ſideribus ſpecioſum inerat, unius imaginis dignitati, veneribus, concinnitudini ſerviat. Quis pauca deinceps me dixiſſe putet, ubi hæc omnia viderit Adoleſcenti lectiſſimo tam benè, tam aptè congruere? Singula ſi illa poſſunt hominem, familiam, gentem decorare, quid univerſa facient? Si miraris eos, quos vel una dumtaxat honeſtet ex tot tantiſque generis & animi dotibus, quid huic uni non tribues corporis, & ſtirpis, & fortunæ & mentis ornatu præſtanti? Paucis magnam laudationem abſolvimus P. C. ſi benè laudare non ſit plurimis verbis, ſed plurima & maxima dicere, & ſi quæ ſolitaria & diviſa complures exornare potuerint, collecta ſimul uni ſufficiant.

Sed ad hæc prope P. C. ſumma tantum carpens, ac delibans reviſat oratio. Si quid in hac

rerum

rerum univerſitate caſtè, ſanctèque colendum eſt, in id profecto omnes mortales incumbere decet, ut religioni ſtudeant, quæ cæterarum virtutum prima eſt, ſuprema eſt. Hujus autem tantam in hac familia, & ab hoc optimo Prolyta curam habitam certo ſcimus, ut nullum magis clarum exemplum ex illa dimanarit in poſteros, & nihil magis acceptum ab hoc Adoleſcente parentibus, majoribuſque referri potuerit. Adeo namque cultus illius in animo Malabaylæ gentis inſedit, ut quot generis propagationes ediderit, tot religionis columina propagarit. Quid ergo mirum ſi tanta Ludovico contigit virtus tanquam parentum cum hereditate transfuſa? Accipere debuit quotquot virtutis exempla Johannes Malabayla, Baldracus, Vaſinus, Aſtenſis Eccleſiæ Pontifices, quotquot Vaſinus alter Placentinæ urbis Antiſtes, [ ut ceteros prætercam; Stephanum videlicet, Octavianum, Bernadinum diverſarum ſodalitatum, & ordinum viros, incertum an clariora nobilitate, an pietate lumina ) Nepotibus imitanda patrarint, atque oſtenderint, quorum facta recenti parentum exemplo renovata a puero conſpiciebat. Quam bene Ludovicus huic majorum conatui ſimul, & voto reſpondit! Quid per ætatem ſibi licuit, quod non tentarit, effecerit? Quæ non calcavit a ſuis impreſſa veſtigia? quæ ſenum facta Juvenis non eſt conſectatus? An humanitas,

man-

manſuetudo, liberalitas majoris illius virtutis vel adminiſtræ vel comites, vitæ quotidianæ Clariſſimi Prolytæ ſociæ, pene dixerim, non extitere, ut cum hoc peregrinari, ruſticari, verſari ſemper, & ubique viderentur? Harum nonne complebat numerum in parentes, in leges, in natu majores obſequium, quod nemo coluit niſi pius? Qui in amicos reſpectus, & caritas, quæ in cæteros homines fides, in omnes integritas? Nihil defuit Ludovico de his, quæ ad animi cultum pertinent, ſi nulli virtutum defuit Ludovicus: vel ſi quid defuiſſe dicam, ſacrorum dumtaxat inſignia ſolum infulæ defuere nec familiæ unicæ ſpei, nec ætati convenientes. Caſtus animus, pura mens, pietatis ac religionis amor nunquam non adfuere. O quam decorum majoribus talem habuiſſe Nepotem, cui fluxi tantum honores, virtutiſque ſigna, non virtus ipſa defuerit!

Ne vero fuſius de virtutum principe diſſeram, cæteræ tuæ, Ludovice, dotes & ornamenta præpediunt. Merita meritis, virtutes virtutibus advocantur. Non totum pietati, religioni non totum te devinxiſti, quin doctrinam, quin litteras amplecterèris: immo totum pietas, totum tenent & litteræ. Cur etenim eam diſſolviſſes conjunctionem, & nexum virtutum, quarum poſtremæ dum altera carent, neſcias maline plus, an boni præſtiterint? At ubi conſociantur, ſi doctrinæ

ctrinæ illuſtrant, pietas illuminat, & licet ab eodem profectæ parente, & opifice Deo, tamen vel illæ juvant afflatu Numinis, vel nocent mortalium pravitate. Sic unius virtute Solis corpora nonnulla tolluntur, ſic luce perfunduntur, ut modo in ſimilia ſideribus lumina evadant, & in imbres excreſcant plantis, & animantibus præſidia: modo in procellas, & fulmina erumpant non tantum malis, praviſque terrori, ſed bonorum ſæpe periculo. Frequentaſti ſtudia religione tua digna, tuiſque digna majoribus. Pietatis equidem cujuſdam eſt ſtudijs ſubvenire Reipublicæ, religionis ſtudia Numini conſecrare; debiti, familiæ repoſcenti, ſuum exſolvere; quid autem Malabaylæ genti magis proprium, quam ſapientiæ ſtudium, & litterarum? Iſtis amorem, generoſam quam tibi dederint indolem, Superi conciliarunt, genus eundem aluit, ac propagavit, & à primis gentis conditoribus ad te uſque transfudit. Nonne Numini, nonne familiæ defuiſſe videreris, ſi ſapientiæ, ſi literis defuiſſes? Cur te potius in ſtirpem hanc, quam in aliam Numen allegit, cur aluit familia, niſi majorum ut moribus viveres? Id omnibus tuis promiſcuum fuit ſacri, vel aſcriti ordinis viris: his fundamentis hactenus nomen gentile ſtetit. Scripſit Guido Antonius Malabayla Canalium Comes hiſtoriam: Scripſit annales Aſtenſes Jacobus; ſcrip-

ſcriptioni operam dederat Bernardinus, Octavianus, & alij; ſed hi nihil novi moliti fuere, quod non jam diu Malabaylæ genti cœptum, perfectumque foret. id nempe fecerunt ne in tanto ſplendore familiæ ſua nomina deliteſcerent. Alij namque Philippum Malabaylam multæ lectionis virum, alij Baldracum, alij Vaſinum ſunt imitati ſui nempe nominis decus, & lumen. Parcite felices animi, ſi vos propria beatitate contentos prætermittens, ad hunc poſtremum ſe ſe convertat Oratio; cui non tantum Subalpinam nationem, ſed hanc etiam Academiam obſtrictam, atque obligatam putarim. Quem vero Anteceſſoris gloriæ laudis teſtimonium reddere convenit, quam Anteceſſorem eodem in Athenæo eidem docendi muneri deſtinatum? Sed ne hoc quidem mihi permittam P. C. At ſi quis gentis amor, & Academiæ recordatio beatum animum adhuc ſtimulat tenetque, huc parumper reſpicere velit, obteſtor, & in Ludovicum Nepotum ſuorum optimum mentis aciem pauliſper intendere. Vidêre, Vaſine, te Profeſſores clariſſimi viri Juri Romano, & ſacro ſtudentem, mox eorumdem munera ſubiturum: videmus & nos Ludovicum Comitem Malabaylam ex poſteris tuis in eadem edoctum Academia non diſpari ingenio præditum, doctrinâ non diſpari. At hunc fortaſſis aliò Reipublicæ curæ vocabunt; Malabaylæ

labaylæ tamen gentis animum, & genium feret. Scripta tua ſunt immortalitate donata: & hujus erunt immortali nomini dedicanda; nec eventu omen caruerit: initia vidimus, & incrementa ſperamus. Non eſt enim defuturus par initio finis, ſi quid certi Ludovici labores aſſidui, nullo cogente ſuſcepti, conſtantia, curæ, vigiliæ, ſapientia religiosè cuſtodita, nullaque non virtus piè, ſanctèque ſervata promittit. Ita videt in Ludovico quod miretur præſens ætas, & videbit futura, ſi, quod raro deficit fortunato principio, fauſtus exitus cœptis eveniat. Præclara ſapientiæ ſuæ documenta ſeptem annorum ſpatio ſuſpexit Academia; quo namque tempore philoſophicis rebus operam navare cœpit, emicuit mentis acumen, & ingenium refulſit in omnia pronum, in omnia flexile. Raro namque miraculo poſſis ambigere, artiumne cunctarum arcana majori facilitate detexerit, an majori celeritate didicerit. Referam ne P. C. ſingula Ludovici geſta, teſtes adducam minimè neceſſarios? Fatigatos antea, quam omnes enumeraverim, vos dimittam, illorum numero, ſcientiâ, gravitate; produxerim enim ex omni genere, cenſu, ordine plurimos. Idcircò, me tacente, doctrinarum omnium eximij doctores, cives obſcuri, & nobiles dicant, quid nempè de Ludovico Comite Malabayla cuncti cenſuerint. An in alium conjecta magis lumina ſin-

ſingulorum ſunt? An major inter Juvenes apparuit ſpes literarum? Dicerent, cunctis vel ſilentibus, ſi loqui poſſent, iſti parietes, ſe ſe vidiſſe nunquam, vel hoc uno inter patritios meliorem, vel ſi amicum æqualem ſibi dumtaxat adjungas (a), par Juvenum conjunctius, ſimiliuſque, ut ſtudio ſic voluntate; ut virtute, ſic animo; ut profectu, ſic gloria.

Plura de Comitis inclyti laudibus quum hactenus dixerim, quis putaret P. C. me reticuiſſe præcipua? Quam latum dicendo ſpatium illa præberent, quod nobiliſſimus, quod omnibus floribus ætatis ornatus, ſermonis mirifica ſuavitate, corporis venuſtate, vultus hilaritate conſpicuus, ſuæque tutelæ relictus, omnibus carus, optimis obſequens, à blanditijs tamen, ac ſæculi voluptatibus, delicijſque temperans, à vitijs, levitate, cupiditatibus intactus evaſerit! Quid in Juvene nobili commoda queant, quid civitatis, æqualium, juventutis incitamenta, quid ſumma libertas efficere, facilius mente percipias, quam verbis expreſſeris. Aſt in tanta corporis elegantia, tam perſpicua mentis integritas: in tam eximio flore juventæ, tantâ prudentia: tanta modeſtia tantis in copijs: talis abſtinentia in tam multis illecebris: tam

acutis

[a] *De Joſepho Franciſco Morotio Marchione Bianzeti intelligit, qui ſuperiori oratione laudatus eſt.*

acutis in ſalibus, jociſque tam admiranda vitæ ſeveritas, cuinam æternis efferenda præconijs non videatur? Quod erit in ſenili prudentia complementum, ſi hoc non ſit in juvenili virtute faſtigium? Magnum equidem P. C. in tam aperta temporum corruptione caſtam, piamque ſervaſſe mentem; majus id Juvenem præſtitiſſe patritium in ea bonorum copia, & ubertate; maximum in ſoluta paternis imperijs libertate: ſed propè divinum, & immortale in hac noſtra ſtudiorum diuturnitate, gravitate, periculo! Verum quid amplius adjiciemus, ſi hæ dimidiatæ ſunt Ludovici curæ, non adhuc integra ſtudia? Non ſanè patrimonium lautum, & copioſum licentiâ nullâ minutum, ſocordiâ nullâ neglectum, ſollerter eâ adminiſtratum ætate, qua nulla ſit vel digna majori venia, vel cura majori: non ſeveriſſima ſtudia literarum totum Ludovicum occupant: ſed neque capacem occupant animum artes, quas exercendis mentis, corporiſque viribus vel Athenæ, vel Roma quæſivit. Eſt animo nobili congruens notitia Regionum? hanc ex purgatiſſimis tabulis arreptā Ludovicus oſtendet. Licet quandoque patritio ad numeros movere pedes? nec enim quod rudiores Romanorum mores (ut Nepoti Cornelio animadverſum, proditumque memoriæ) [a] Græcia ridente, ſpernebant, nunc dedecent



[a] *In præfat. ad Vit. Excell. Imperator.*

ingenuos, & eruditos; elegantes ex arte non incomta choreas ducturus eſt Ludovicus. Exercendum in paleſtra corpus? fortique brachio ſtringendus enſis, ut pugnæ periculis aſſueſcat? Ludovicus dimicabit egregiè, & modo gradus inferens, modo referens adorietur inſtantem, & inſtanti reſiſtet: inque vices corpus oſtendet, ac retrahet. Regendus equus indomitus, veredusque pernix vel ad curſum incitandus, vel refrenandus, & acclinatus, & rectus jubentis præſcripta ſervare compellendus? non invidebit priſcorum fortiſſimis hæc civilis vitæ ſolatia, militaris experimenta. Excutiendæ feræ cubilibus? volanteſque certis ictibus feriendæ? ut has bellorum ſequatur imagines luſtrabit ſaltus, ac nemora. Quid demum celeritate, cunctando, ſtratagematis Duces effecerint, qui locus ſit opportunus caſtris, qui modus eorum, & facies, ubi locanda præſidia, qua parte hoſtium propugnacula ſubvertenda, quando cuniculis, aggere, vineis utendum, quo dirigenda tormenta demonſtrabit, ut aliquando peragraturo ſibi Italiam, Galliam, Germaniam, Belgium, Angliam, cauſſas ſæpè, ſpectatriceſque bellorum regiones, hæc uſui ſint, & in patriam reduci profutura. Hoc modo Romanis Attica, jocoſa ſerijs, militaria civilibus, forenſia caſtrenſibus, ſine ſtudiorum jactura, ſine juriſprudentiæ detrimento conjunxit. Plane mi-

miranda Latinarum artium, atque Græcarum, & rarò tanta conjunctio! O felicem adoleſcentem, in quo ſic Græca, & Romana virtus elucet! ò dignum, qui Græcis celebretur litteris, atque Romanis!

Nunc vos ego adoleſcentes appello, qui caſtra ſectantes ſtudioſam Juventutem, cujus nequitis imitari virtutes, neſcio quo ſale conſpergitis. Quid? ſeveræ litteræ, ſtudium juriſprudentię, & totius humanitatis imbellem promittunt animum? Quę dextera calamum ſtringere conſuevit, haſtam, gladiumque refugiet? Vobiſque ſolis fortitudinem ineſſe dicam, firmumque robur ad omnia ſubeunda pericula, quòd litterarium, quòd laborioſum curriculum declinaſtis? En fortia pectora! en generoſa! en qui patriam ope juvare poterunt, & prudentiâ! Liceat vobis eſſe militibus; militibus tamen. Ducem aliunde capite litteris, armiſque formatum. Tu cum ſimilibus Ludovice vel pugna, vel impera: vel conſilio, vel armis capeſſe Rempublicam. Cæteri vel in campo faciant imperata, vel in otio, poteſtatum, quas gerere tibi dabitur, faſcibus colla ſubmittant. Alunt deſidiam litteræ? ſocordiam juriſprudentia? Emollit Academia viros? & in laſciviam diſſolutam impellit? Mores Ludovici ſuſpicite. An hic in pacis artibus verſatiſſimus, bellicis ineptus fuerit? An Xenophon, & Alexander, an Scipio, Catones, & Cæſares: an Aurelius,

& Romanus Alexander bellicæ laudis neſcij vitam tranſegerunt ingloriam? Tanta nomina ſuntne in caſtris obſcura & à militaribus aliena rumoribus? At quis in Philoſophicis rebus Aurelio inſtructior, & Alexandris? quis in Poëticis Scipione? quis in hiſtoricis Xenophonte, & Cæſare? in juriſprudentia Catonibus? Conjunget has artes, ſi voluerit eruditus, & domi, & militiæ pro tribunali jura præſcribet. Et ſi nec veſtuſtis exemplis delectaris, nec ea, quæ dixi futura credis, accipe præterita non longiſſimo intervallo repetita quidem, ſed de una tamen Ludovici familia. Bernardinum Malabaylam pauliſper conſidera, qui ſe præbuit Gallorum Regi Franciſco in pace Conſiliarium, in bello Miniſtrum; in proſperis moderatum, in adverſis intrepidum: ubique doctum, ubique magnanimum; fuitque bellicoſo principi, ſed infelici, in Regno, campo, cuſtodia Magiſtratus, miles, & ſocius. Roboaldum contemplare fortiſſimâ peditum manu pro Romana pugnantem Eccleſia; Ducem habes, neſcias prudentiorem, an fortiorem; ſed procul dubio militum, quos proprijs opibus ſuſtentabat patrem pene dicas, & Principem. En Petrum Malabaylam Aſtenſium imperatorem; Civilem ſcientiam in illo contemne, dummodo ſcias, Galeatium Mediolanenſium Ducem fuſum, fugatumque ſuis Armis ceſſiſſe victricibus. Clementem denique reſpice in Equeſtri

ſtri

ſtri Melitenſium ordine Magiſtratum, [ ipſi Commendatorem appellant ] qui propemodum infinitis Turcarum copiis in Melitam inſulam irrumpentibus ſtrenuus, ac modicis auxilijs ſtipatus occurrit. Quam dignum forti ſpectaculum, intueri virum inopinatam cladem barbaris inferentem! & quum paſſim corpora proſternat, ac proterat, interceptum ab hoſtibus ferro ſibi parare viam! At quo fortitudinis prodigio factum dixeris, ut tanto hoſtium numero circumjectus ſuper promiſcuæ ſtragis confuſos acervos modo lentos, modo citatos gradus agitans, remotis, oculis pavorem incutiens, proximos quoſque ferro petens, profligans, obtrūcans, ſanguine madēs invictus evaſerit, clarus ſcythica lauro? Sunt equidem hæc mirabilia, facta tamen, & Malabaylæ gentis in pace, belloque miracula: cui illud contigit feliciſſimum, ut ſcribere miranda poſſet, & agere fortia, & rariſſimo virtutis exemplo tranquillis, turbidiſque Reipublicæ rebus conſulere; ut nempè cæteri à ſtirpe diſcerent una, quæ contrarijs omnino temporibus utilia civibus forent; tibique Comes inclyte, velut in medio conſtituto facultas daretur, quæ velles optandi; ſequendi, quæ velles. Elige, licet: ſive namque ad hæc potius, quam ad illa convertas animum, delegeris ſemper illuſtria, & digna memoriâ. Dedere tibi Superi mentem omnibus aptam: elegiſſe, perfeciſſe fuerit. En forum, en caſtra:

en

en prætextas, en chlamydes: en civiles apices, en militares coronas, & phaleras: en lauream forti, doctoque promiſcuam; omnia juveni proponantur, qui videtur natus ad omnia.

Sed tandem te profecturum aſpicimus, inclyte Prolyta; cunctis hujus Athenæi præmiis, & omnium laudibus cumulatum. Ibis fauſtis, lætiſque votis, ac vocibus comitatus; ſed tecum noſtri proficiſcentur affectus. Ipſa diſciplinarum Parens, & cultrix Academia, quæ te, ſummis ut ſemper incumberes, hortata eſt, magno cum ſenſu lætitiæ dimittit adoleſcentem Superis, mortalibuſque gratiſſimum, rata non eum ab ſe ſe Candidatum amitti, quem Reipublicæ commodis, ac ſaluti dimittat. Et hercle, ſi quid rectè conjicio, tui apud illam, illius apud te viva ſemper, ac florens eſt permanſura memoria, ſi quum hæc tibi ſimiles, diſſimileſve cognoverit, tuæ virtutis exempla protulerit; ſi quum populos imperio tu reges, memineris, unde regendi artes acceperis. Et ut prodigio ſimile foret, ſi ullo tempore tua, Comes lectiſſime, geſta noſtris è mentibus elaberentur, (ſiquidem ubi quædam in aliis ornamenta conſpiciemus, tua in animum revocabimus, quæ juncta cæteris te eximium dotibus præclaris & doctrinâ in patritiorum cenſu mirabilem faciunt,) ſic portentum videri deberet, ſi adoleſcentis

vir-

virtute maximi gratus animus, ardor, & caritas in ſtudioſos, & in eam Academiam, cui debet ingenuas diſciplinas acceptas, auctam pietatem, vel unquam minuta tepeſceret, vel penitus extincta deficeret.

FINIS.

*Imprimatur*,
Vic. Gen. S. Offic.
V. de AGUIRRE Reg. Adv. & St. Cenſor.
V. Comes de CASELETTIS pro Dom. Co. & Pr. Pr. RICCARDI. Mag. Cancel. Cuſt.